EXERCITATIO ACADEMICA
DE
DECIMATIONE DELINQVENTIUM
CVM PRINCIPIIS SVIS METHODO DEMONSTRATIVA
PROPOSITA,

QVAM,

DIVINA ANNVENTE GRATIA,
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO
DOMINO

GVILIELMO HENRICO

DVCE SAXONIAE, IVLIAE, CLIVIAE, MONTIVM,
ANGARIAE, WESTPHALIAE, RELIQVA,
EX DECRETO ET AVCTORITATE ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS
PRAESIDE

NIC. GVILIELMO DRESSELIO,

IVRIVM DOCTORE,
PRAECEPTORE, HOSPITE AC PATRONO
OMNI PIETATIS CVLTV VENERANDO,
IN HAC ALMA SALANA
PVBLICE DEFENDET
AVCTOR

SALOM. SEVERIN. DOBERMANNVS

RONNEBVRGENSIS.

AD DIEM XXVIII. APRILIS cIↄ Iↄcc XXXI.

IENAE, LITTERIS MVLLERIANIS.

SERENISSIMO PRINCIPI
AC DOMINO,

DOMINO
FRIDERICO

DVCI SAXONIAE, IVLIACI, CLIVIAE, AC MONTIVM, COMITI PROVINCIALI THVRINGIAE, AC LIMITANEO MISNIAE, NEC NON PRINCIPI COMITATVS HENNEBERGICI, COMITI MARCAE, AC RAVENSBERGAE, DYNASTAE RAVENSTEINII ET TONNAE, RELIQVA

PRINCIPI AC DOMINO MEO CLEMENTISSIMO.

SACRVM HOC, DICATVM DEVOTVMQVE ESTO.

SERENISSIME PRINCEPS, DOMINE CLEMENTISSIME,

Hanc tibi, serenissime princeps, dissertationem multis de caussis subiectissime consecro. Ipsum, quod elegi, argumentum, meo quidem iudicio, ita est comparatum, vt tua summi principis persona non plane indignum esse videatur. Decimationem delinquentium, & quae ad illam accuratius intelligendam pertinent, quoad fieri potuit, pertractaui. Est illa quidem poenae species, qua plane in terris tuis, serenissime princeps, opus non est. Tantum enim abest, vt ciues tui imperium rumpant, atque turpissimo rebellionis crimine se polluant, vt potius

omnia

omnia obedienter & pie faciant, & ad PRINCIPIS SVI nutum actiones suas lubentissime componant. Neque id praeter rem. PRINCIPI enim parent, qui plane incomparabilis, & DEO simillimus est, & qui omnes vires, curas atque cogitationes suas, raro ORDINIS SVI exemplo, eo semper dirigit, vt ciues quiete atque feliciter viuant, eorumque commoda in dies magis magisque amplificentur. At aliae rationes adsunt, quibus inductus, SERENISSIMO NOMINI TVO hoc qualecunque specimen academicum demississime dedicaui. In antiquissimo TVO patrimonio natus, adeoque TVVS sum, & quae potissima caussa est, tot beneficiis a CLEMENTIA TVA pater meus adhuc ornatus est, vt ingratissimus essem homuncio, id nisi publice demississima mente praedicarem, & grati atque subiectissimi animi documentum prostare vellem. Et quum incredibilis atque

)(3 di-

diuina TVA CLEMENTIA vno omnium ore passim celebrari solet, in spem haud dubiam venio, fore, vt hunc subiectissimae pietatis meae fructum serena fronte accipias. Quod restat, DEO supplex futurus sum, vt TE, SERENISSIME PRINCEPS, ingens pietatis atque iustitiae fulcrum, summumque TVORVM ciuium delicium, nec minus, qui ex TE nati sunt, SERENISSIMVM PRINCIPEM HEREDITARIVM reliquosque iuuentutis PRINCIPES, qui vestigia TVA immortali laude pressa strenue sectantur, quin immo omnem SERENISSIMAM STIRPEM TVAM quam diutissime florere, & quae fingi modo possint, bonis abundantissime cumulare velit

SERENITATI TVAE

devotissimus seruus

SALOM. SEVERINVS DOBERMANNVS.

LECTORI BENEVOLO

S. P. D.

AVCTOR.

VAriae diuersaeque plane indolis mortales esse, neminem fugit. Alii sua sponte rectae rationi obtemperant; alii non nisi coacti id faciunt. Hinc Principi, ad subiectorum ingenium sese accommodanti, opus est & bonitate, & seueritate: Illa quidem, vt bonae mentis ciues magis magisque ad bonum amplectendum malumque fugiendum excitentur; hac vero, vt improbi poenarum metu in officio suo, cui satisfacere saepe recusant, eo facilius contineri queant; licet negari non possit, salutem reipublicae aliasque rationes interdum postulare, vt bonitas seueritate & seueritas bonitate temperetur. Luculentum seueritatis, bonitate temperatae, documentum decimatio delinquentium exhibere potest. Quod argumentum satis arduum, dum iussu Parentis mei carissimi, quem DEVS immortalis florentem quam diutissime praestet, quoad per vires ingenii, quas exiguas sentio, fieri potuit, elaborandum suscepi, eo lubentius pertractaui, quia a paucissimis illud adhuc enucleatum, iustitiamque decimationis a multis in dubium vocatam, rem tamen ipsam iam olim & nostra aetate vsu receptam fuisse, deprehendi.

Quum autem animus mihi erat, omnia ex primis fontibus deriuare, diuersa iuris naturalis principia de statu naturali & origine ciuilis praemittenda esse, duxi, vt commoda atque

in-

incommoda, quae statum naturalem comitari solent, ante oculos ponerem, atque statum ciuilem recte naturali praeferri demonstrarem. Id quod fusius capite I. pertractatum est.

Quod ad ipsam tractationem attinet, omnem nauaui operam, vt & ipsam decimationem rationi conuenientem, ad salutem reipublicae vtilem & iustam esse ostenderem, legesque & consuetudines populorum diligenter cum principiis nostris conciliarem. Nec minus demonstraui, a quo, quibusque in casibus decimatio institui possit.

De methodo, qua vsus sum, demonstratiua, nihil attinet plura dicere, siquidem illa ad veritatem accuratius cognoscendam viam sternit, ac non nisi principia cognoscendi indubitata & modum concludendi legitimum admittit; vnde illa prudentissimorum calculo comprobatur.

Quod reliquum est, abs TE, Lector Beneuole, ea qua decet, obseruantia, peto atque contendo, vt, si quid forte praeter spem atque opinionem irrepserit, quod vlteriore emendatione expoliri queat, id omne in meliorem partem interpretari, & pro candore TVO aequum humanitatis iudicium mihi reddere velis: Vale, & me, qui TE colo, beneuolentia TVA amplecti perge. Dabam Ienae, d. XXVIII. Apr. cIɔ Iɔcc xxxi.

CAPVT I.



CAPVT I.

CONTINENS PRINCIPIA QVAEDAM DEMONSTRANDI DE STATV NATVRALI ET CIVILI.

§. I.



STatus hominum naturalis est ille status, quo neminem Superiorem, nisi DEVM, agnoscunt. *Superiorem* autem hoc loco vocamus, ad cuius voluntatem alter, actiones suas conformare, obligatus est. Quid status naturalis & Superior?

Sic, vt exemplo rem illustremus, Patriarchae olim in statu naturali viuebant, quatenus, teste sacra scriptura, solum DEVM respiciebant Superiorem: hinc paterno solum & herili iure suas familias regebant, veritatemque diuinam conseruare atque amplificare studebant. Pariter imperia integra, regna, & respublicas liberas ad-

huc eodem ſtatu naturali gaudere, facile ex eo patet, quod, ſi a DEO receſſeris, Superiorem in terris reuerentur neminem.

Quisquis nullum in terra Superiorem agnoſcit, is nullis legibus humanis obnoxius.

§. II. Regula, ad quam aliquis actiones ſuas dirigere obligatur, dicitur *lex*, eaque *humana*, ſi talis quidem regula eſt, ad quam aliquis actiones ſuas componere, ab hominibus obligatur. Quicunque igitur, DEO excepto, Superiorem in terris agnoſcit neminem, ille non ad hominum, ſed ad DEI vnius voluntatem actiones ſuas dirigere obligatur, *& ita omnibus legibus humanis eſt ſolutus* (§. 1.).

Non deſunt, qui datam legis definitionem ad conſilium etiam applicari poſſe, & hinc definito latiorem eſſe, contendunt. Sed, quum *obligatio* conſiſtat *in connexione motiuorum*, i. e. *repraeſentationis boni vel mali cum actione*, prouti oſtendit WOLFFIVS in Philoſ. Moral. §. 8. vnusquisque facile intelliget, plane diſparem eſſe rationem conſilii & legis, ſiquidem, qui alteri legem conſtituit, ſimul motiuum cum ipſius actione vel ſuſcipienda, vel omittenda connectit, i. e. eundem obligat; id quod proprium legis conſueuit eſſe: contra ea, qui alteri conſilium dat, is quidem oſtendit, quae actionem vel ſuſceptam vel omiſſam conſequutura, & cum ea connexa ſint; non autem ipſe cum illa connectit, & hinc nec ipſe obligat. Vnde conſilium accipienti, reſpectu dantis, integrum eſt, & ſequi & repudiare illud, licet, ſi repudiet, damnum naturale ſubire cogatur, vti poſſet per exemplum ab aegroto & medico petitum illuſtrari; ſecus autem ſe res habet in illo, qui legem a Legislatore nactus eſt. Pluribus, ſi placet, conferantur PVFENDORFIVS de iure natur. & gent. Libr. I. Cap. VI. §. 1. 2. item I. TH. C. in vſu Philoſophiae Leibn. & Wolff. in Theol. Cap. XI. §. 16. ſeqq.

nec vllae poenae humanae.

§. III. Malum, quod Legislator cum actione coniungit, tanquam motiuum illius omittendae, dicitur *poena*; hinc, vbi Legislator non eſt, nec *lex*; nec poena proprie ſic dicta locum habere poteſt. Iam, quicunque ne-

neminem, nisi DEVM, Superiorem agnoscit, is nullis subiectus est legibus humanis (§. 2.); vnde sequitur, vt, *qui neminem Superiorem, nisi DEVM, agnoscit, nec vllis obnoxius sit poenis humanis proprie sic dictis.*

Dico consulto & cogitate, illum nullis poenis *humanis proprie sic dictis* esse obnoxium. Nam, licet homo nullum in terris Superiorem agnoscat, neque adeo vllam poenam humanam extimescere necesse habeat; tamen, si agat malum, & omittat bonum, omnibus, quae per naturam rerum cum actione mala coniuncta sunt, obnoxius est damnis, quae malam actionem ipsius consequentia, quatenus lex naturae lex diuina est, pro pœna diuina haberi omnino possunt & debent, vti e. g. prodigus, opibus suis profusis, in mendicitatem se detrudit; licet non agnoscat vllum, praeter DEVM, in terris Superiorem. Pariter, si quis alterum infesto animo adgreditur, in eiusque bona vel corpus inuadit, licet vel maxime Superiorem non agnoscat, in summum periculum, ex defensione alterius sibi imminens, sese quin mittat, quis est, qui dubitet? Quod autem proprie poena dici non potest.

§. IV. Quicunque nulla lege humana tenetur, nemini tributum pendere ex lege est obligatus. Hinc, *qui nullum Superiorem, nisi DEVM, agnoscit, nemini tributum soluere ex lege obligatus est* (§. 2.). nec ad tributa soluenda ex lege est obligatus.

§. V. Quicunque nullis subiectus est legibus humanis, is solis tenetur legibus diuinis, per rationem nobis promulgatis. Hinc, *quicunque neminem Superiorem, nisi DEVM, agnoscit, sola adstrictus est lege naturali, a DEO per rationem omnibus patefacta* (§. 2.). sed sola lege naturae obstringitur.

Dum hominem, qui nullum in terris Superiorem, nisi DEVM, agnoscit, sola teneri lege naturali per rationem promulgata, dicimus, obstare videntur leges diuinae positiuae vniuersales, quibus omnes obstringantur homines, licet ex ratione non innotescant. At, has recentiores plurimi grauissimis de causis improbarunt, pulchre videntes, eiusmodi leges non dari vniuersales positiuas non tantum

 propter

propter defectum promulgationis vniuersalis, sine qua tamen nullam legem obligare patet; sed potissimum, quia ratione sui obiectiua plane carent; nec de sapientissimo illo Legislatore, DEO, dici potest: ab eo leges proficisci, ratione sui obiectiua destitutas: id quod plurimis annotauit iam allegatus I. TH. C. Cap. XI. §. 20. Conf. coelo recepti THOMASIVS Obseru. Hallens. Tom. VI. O. XXVII. & passim in Fundam. I. N. & G. BVDDEVS Theol. moral. part. II. Cap. I.

Eadem obtinent in statu naturali.

§. VI. Dum quilibet, qui statu naturali gaudet, neminem Superiorem, nisi DEVM, agnoscit (§. 1.), ad nullius voluntatem, nisi diuinam, actiones suas conformare obligatur (§. 1.), omnibus solutus est legibus humanis (§. 2.), nulli poenae humanae proprie sic dictae obnoxius (§. 3.), nec ad tributa soluenda ex lege est adstrictus (§. 4.), sed sequi tantum debet rectae rationis ductum (§. 5.).

Status naturalis consentit cum felicitate nostra.

§. VII. Quicunque rectae rationis ductum tantum sequitur, nec vllum in terris Superiorem agnoscit, ille finem suum vltimum, qui est felicitas, multo facilius multoque commodius potest consequi. Quem enim fugit, libertatem hominum naturalem per leges ciuiles ita saepius circumscribi, vt iis, quod vere bonum sibi iudicant, plane non liceat agere? Vt leges poenasque iniustas, a Magistratu, saepius a debita iustitiae via deflectente, constitutas: vt, quibus ciues premuntur, tributorum onera, sicco, quod aiunt, pede praeteream: a quibus quidem omnibus malis immunis est, qui neminem, nisi DEVM, Superiorem agnoscit. *Statum* ergo *naturalem eatenus cum fine hominis, qui est felicitas eius, consentire, patet* (§. 1. 6.).

Leges ciuiles libertati hominum naturali haud raro officere, ita, vt,

quod

quod vere bonum iudicant, agere iis non liceat, id variis comprobari exemplis facillime omnino poteſt. Si rectam rationem ſequi velimus, nihil videtur obſtare, quo minus poſt triginta annorum ſpatium dominus rem ſuam a bonae fidei poſſeſſore vindicare poſſit; ſiquidem ratio tale tempus non determinat, quod vero legibus Romanis nequaquam conceditur. L. 4. ff. de vſucap. & praeſc. Ex rationis praeſcripto tantum vſurarum, quantum pro ratione vtilitatis, ex mutuo ſumta pecunia perceptae, licet, ſoluere teneris; id quod vero ſecundum leges ciuiles, praecipue ius pontificium, in hac materia valde laruatum, omnino non licet. Vt de matrimoniorum ineundorum libertate, Romani praeſulis potiſſimum aſtutia admodum reſtricta, mentionem haud faciam.

§. VIII. *Perfectio* eſt conſenſus variorum in ente. In ſtatu naturali eſt conſenſus in dictis iam reſpectibus cum fine noſtro, qui felicitas eſt (§. 7.); *hinc ſtatus naturalis eatenus ad hominis perfectionem facit.* et facit ad perfectionem noſtram.

§. IX. Ex cognitione perfectionis intuitiua oritur *voluptas;* & quidquid nobis voluptatem creat, id dicitur *iucundum.* Hinc, quum *ſtatus naturalis* in dictis reſpectibus ad hominis perfectionem facit (§. 8.), non poteſt non ei, qui illo gaudet, *voluptatem creare*, & adeo *ſtatus iucundiſſimus* appellari. et hinc eſt iucundus.

§. X. At, quamuis haec omnia ita ſpecioſe ſeſe habeant, plura tamen, eaque grauiora, coniuncta cum ſtatu naturali incommoda eſſe, nemo, qui rem paullo expenderit curatius, inficias ibit. Ita enim eſt deprauata hominum indoles, vt pauciſſimi ſanae rationis ductum ſequantur; plurimi ex aduerſo, prauis affectibus indulgentes, omne, quod bonum, iuſtum, decorum eſt, abominentur, adeoque in turpiſſima cuiusque generis flagitia ſeſe ingurgitent, & omnem, quam ſummo in coe- In ſtatu naturali deficit priuatorum ſecuritas.

lis NVMINI debent, obedientiam negligant plane, atque abiiciant. Quid autem inde aliud oriri poteſt, quam fraudes, furta, rapinae, caedes, calumniae, ſtupra, adulteria, & varia iniuriarum genera, quibus optimus quisque ſemper eſſet expoſitus? Et cum iniuriis iſtis propulſandis ſingulorum vires haud ſufficerent, fieri non poſſet, quin vitae, rebusque ſuis ſemper timere mortales cogerentur. Haec vero incommoda cum ſtatu naturali connexa eſſe, eumque non potuiſſe non degenerare in bellum omnium in omnes, inde, quod nullis legibus humanis in eo homines ſint adſtricti, haud difficulter colligi poteſt (§. 6.).

Si quis iniiceret fortaſſe, patremfamilias tot ſeruos omnino, quot ad gentis ſuae ſecuritatem neceſſarios eſſe, cognoſceret, Abrahami exemplo Geneſ. XIV. v, 14. alere & poſſe facile & debere, is ſciat, oppido paucorum id eſſe non tantum, ſed numeroſas quoque eiusmodi familias paruas quaſi respublicas conſtituiſſe. Vnde id nobis obſtare non poteſt, quin recte, ſtatum hominum naturalem dicto ſecuritatis deficientis incommodo laborare, defendatur.

et commoditas.

§. XI. Nec alia deſunt incommoda, quae ſtatum naturalem comitari ſolent. Innumeris fere rebus ad perfectionem felicitatemque noſtram conſequendam opus nobis eſſe, conſueuit. Intellectus ab ignorantia atque errorum tenebris; voluntas ab innata vitiorum labe, idque aliorum inſtitutione & exemplo liberanda eſt; ſiquidem non facile fieri ſolet, vt homo, ſe ipſo tantum vtens magiſtro, omnes veritates ſcientiasque non minus neceſſarias, quam vtiles percipiat, bonumque ſatis a malo diſtinguere addiſcat. Mitto iam alias res, quae ad victum cultumque corporis neceſſarium, (vt nihil de com-

commoditate nostra dicam,) pertinent, nonnisi coniuncta multorum hominum opera parandae. Hinc, cum homines in statu naturali sine communi in terris Superiore (§. 1.), & hinc singuli extra societatem viuant, multis rebus, quae ad indigentiam vitaeque commoditatem requiri solent, destituti, nec eam, cuius tamen capaces sunt, perfectionem felicitatemque obtinere possunt.

Patriarcharum exemplum, qui in statu naturali vitam degebant satis commodam atque felicem (§. 1.), huc plane non pertinet. Eorum enim viuendi ratio nostra multo erat simplicior, neque id temporis, genere hominum non ita multiplicato, tantus, quantus hodie, rerum apparatus ad vitae necessitatem commoditatemque requiri consueuerat. Confer. WOLFFIVS in Philos. Polit. §. 211. Multo minus ad bruta prouoces, eaque suo more, licet societatem ineant nullam, satis tamen bene viuere, contendas: alia enim brutorum, alia hominum ratio est; ea intellectu ac voluntate carent, corpusque pellibus ab ipsa natura tectum gerunt, cetera quod plane aliter se in hominibus habet.

§. XII. Singuli homines ac familiae in statu naturali viuentes, neque securitatem, neque vitae commoditatem ex animi sententia obtinere queunt (§. 10. 11.). Contra, si plures familiae societatem coeunt, *& communis securitas & vitae commoditas*, vel verbo, *salus communis* multo facilius obtineri atque stabiliri potest; siquidem vis vnita ad iniurias propellendas fortior deprehenditur, & quae ad vitae necessitatem eiusque commoditatem pertinent, viribus coniunctis a pluribus, quam a singulis, multo praestari possunt facilius. Quae vero commoda, ex vita hominum sociali emergentia, quum consentiant cum fine hominis, i. e. felicitate, adeoque

Hinc oportuit societate.

que ad perfectionem hominis faciant (§. 8.); & primum legis naturae principium sit: *Fac ea, quae tuum aliorumque statum perfectiorem reddunt*, sequitur, omnino ipsa lege naturali homines, ad societatem communis salutis, i. e. securitatis commoditatisque caussa ineundam, esse obligatos.

Egregie vtramque hanc rationem societatum, ab hominibus ineundarum, iam olim perspexit LACTANTIVS de opificio DEI: *Homo*, inquiens, *si haberet ad propulsanda pericula suppetens robur, nec vllius alterius auxilio indigeret; quae societas esset? quae reuerentia inter se? quis ordo? quae ratio? quae humanitas? aut quid esset deterius homine? quid efferatius? quid immanius? sed quoniam imbecillis est, nec per se potest sine homine viuere, societatem appetit, vt vita communis & ornatior fiat, & tutior.* Et easdem rationes status socialis naturali singulorum praeferendi adduxerunt WOLFFIVS Pol. §. 210. seqq. & ante eum PVFENDORFIVS de Iure Nat. & Gent. Lib. VII. C. I.

et statu ciuili.

§. XIII. Status hominum, vbi plures familiae ad communem securitatem vitaeque commoditatem societatem colunt, dicitur *status ciuilis seu respublica.* Hinc ipsa ratio hominibus suasit, vt, rebus ita se habentibus, statu naturali relicto, *statum ciuilem seu rempublicam constituerent* (§. 12.).

Quidquid, inquis, ad perfectionem hominis facit, illud non est relinquendum (§. 12.); status naturalis facit ad perfectionem hominis (§. 8.), Ergo relinquendus non est. Status quidem hominum naturalis facit ad perfectionem nostram in iis, quae supra (§. 6. 7. 8.) demonstrata sunt; sed in aliis respectibus aliae, eaeque maiores, imperfectiones cum eo coniunctae sunt (§. 10. 11.). Parum nos enim iuuabit, vt ad alterius voluntatem actiones nostras conformare non obligati, & ab omni hominum poena, ab omnique tributorum genere immunes simus, si propter malitiam hominum in perpetuo vitae rerumque nostrarum periculo versari cogamur, rebus, ad vitae indigentiam commoditatemque pertinentibus

tibus

tibus plane, vel maximam partem destituti. Vnde, quum ex praescripto legis naturalis ea, quae nostrum, aliorumque statum perfectiorem reddunt, facere, & hinc bonum maius minori praeferre debeamus, sequitur, vt statum ciuilem, quia maiorem in se comprehendit perfectionem, statui naturali anteponamus. Originem vero rerumpublicarum non historice, sed philosophice considerare, nobis mens est. Facile enim concedo, respublicas multas olim forte tyrannide potentum, alios vi & armis sibi subiicientium, esse ortas. Illud quidem vnicum, ceu notatu dignissimum, quod IACOB. PERIZONIVS *in orig. Babylon. C. XII. p. 227. seqq.* de primae ciuilis societatis origine satis probabiliter refert, silentio praetereundum haud puto, cum ex eo obseruare licet, vel feras bestias socialis hominum vitae ansam praebuisse. *Summa historiae est*, inquit, *quod metuebant*, (sermo quippe ei est de exstruendae turris Babylonicae ratione,) *ne dispergerentur in, vel ex ea terra, quam habitationi suae prae aliis elegerant, atque ita a se inuicem diuellerentur. - - - - Ipse* HOBBIVS *L. I. C. I. de ciue in notis largitur, homini per naturam solitudinem perpetuam molestam esse, immo homines alterum alterius congressum, natura cogente, appetere, quia infantes ad viuendum, adulti ad bene viuendum, aliorum ope indigeant. - - - Opera* igitur *haec tanto iustior apparebit, & probabilior, si cogitetur, non simplicem fuisse eam solitudinem & oberrationem, quam adeo horrebant, sed cum periculo coniunctam maximo* A FERIS BESTIIS, *quae in solitudinibus vagari, grassarique in homines, in iis deprehensos, solent. - - - - Metuebant ergo & illi, qui pauci adhuc erant in orbe terrarum, summo iure, ne facti per fortuitos errorum casus prorsus singuli, praeda quoque fierent ferarum. Non temere haec dici, seu non temere in hac* DISPERSIONIS *cauendae historia poni metum ferarum, concedent facile, qui mecum perpendent, ex earum venatione & caede primis temporibus praecipuam gloriam, vbiuis gentium ortam, immo complura earum, homines & armenta infestantium, in ipso veteris scripturae codice reperiri exempla. Neque vero dubito, quin hoc ipso tempore Nimrodus ea maxime re sibi existimationem & glo-*

& gloriam, vel potius auctoritatem & potentiam inter illos homines comparauerit, quod erat fortis & validus VENATOR *coram DEO, Genes. X. v. 9.* Nobis iam sufficiat, statum ciuilem rationi esse conuenientem, paucis demonstrasse.

et in illo Magistratu.

§. XIV. Quum respublicae ad communem salutem stabiliendam constituantur (§. 13.); cura illius certis personis est committenda. Illi autem, qui reipublicae salutem & securitatem procurant, dicuntur *Magistratus; hinc in republica opus est Magistratu.* Sed patet inde simul, potestatem, quam Magistratus habet, ex pacto, cum populo inito, dependere. Dum enim populus curam publicae salutis tradit Magistratui, simulque obsequium & tributa promittit; Magistratus autem pro virili eam administrandam suscipit; adest inter Magistratum & populum promissum & repromissum, i. e. pactum, quo ipso innititur potestas Magistratus.

Idem de potestate Magistratus, ex pacto cum populo illiusque consensu pendente, contra illos, qui potestatem Magistratus immediate a DEO profectam fingunt, copiosius defenderunt PVFENDORF de iur. nat. & gent. L. VII, C. III. §. 1. seqq. BVDDEVS in Institut. Theol. Mor. P. II. C. III. sect. 7. §. 4. & 15. WOLFFIVS Pol. §. 230. Quin in ipsis etiam regnis patrimonialibus, de quibus agit GROTIVS de Iur. bell. & pac. L. I. C. II. §. 11. seqq. & L. II. C. VII. §. 12. & PVFENDORF de iur. nat. & gent. L. VIII. C. V. §. 5. consensum populi intercedere, docet exemplum Aegyptiorum. Significanter hanc in rem scribit GERHARD in Del. I. N. L. III. C. V. §. 61. seqq. *Breuissimis*, inquit, *si dicendum, quod res est, expeditum esse potest: imperia introducta esse ab hominibus, & quidem impiis. Interim ea iuri naturali neutiquam contrariari, sed potius ob malitiam hominum necessaria existere, hincque etiam DEO non quidem antecedenter, sed consequenter & ex post facto, secundum nostrum scilicet considerandi modum, approbata fuisse &c.*

§. XV.

§. XV. Si cui tradatur cura reipublicae, pollere is debet facultate, decreta ad finem, qui reipublicae ſalus ac ſecuritas eſt, obtinendum, neceſſaria atque vtilia exſequendi. Nemo enim non intelligit, omnem curam ſine eiusmodi facultate eſſe nullam. Hinc, dum Magiſtratus communem reipublicae curam cum effectu gerere debet (§. 14.), *Magiſtratus habere debet facultatem, decreta, ad communem ſalutem neceſſaria, exſequendi.* Magiſtratus gaudere debet facultate agendi.

§. XVI. Facultas, i. e. poſſibilitas aliquid agendi, vel phyſica, vel moralis eſt. *Facultas moralis* verbo dicitur *Ius*; moraliter autem poſſibile dicitur omne id, quod vetitum legibus non eſt. E contrario facultas phyſica eſt facultas agendi omne id, quod per vires animae, corporis, aliarumque rerum fieri poteſt. Quarum vna ſine altera nullius vtilitatis eſt. Quid enim refert, per vires corporis, animae, aliarumque rerum aliquid efficere nos poſſe, ſi legibus prohibitum ſit? Quid intereſt, aliquid lege prohibitum non eſſe, ſi vires corporis, animi, aliarumque rerum, ad illud praeſtandum, non ſufficiant? Hinc, quia facultas phyſica ſine morali, & haec ſine illa nihil prodeſt; Magiſtratui autem competere debet facultas, decreta reipublicae ſalutaria, exſequendi (§. 15.), *Magiſtratus phyſicam & moralem agendi, quae reipublicae ſalutaria ſunt, facultatem habere debet.* eaque phyſica & morali.

In datam iuris definitionem conſentit PVFENDORF, de Iur. nat, & *gent. Lib. I. C. VI. §. 3. Cauendum*, inquiens, *ne pro lege iuris vocabulum accipiamus, quando poteſtatem aliquid agendi, legibus conceſſam aut relictam, notat.*

i. e. Imperii.

§. XVII. Facultas physica & moralis, id, quod ad salutem reipublicae facit, existens reddendi, dicitur *Imperium; Magistratui igitur non potest non competere Imperium* (§. 16.).

Studio dico: *facultatem physicam & moralem ad Imperium pertinere.* Nam, licet aliquis gaudeat facultate morali, i. e. iure, ea in republica constituendi, quae ad eius salutem pertinent; tamen, si facultate physica, i. e. potentia, ius suum exercendi, destituitur, imperare dici non potest. Pariter, si quis quidem habeat facultatem physicam seu potentiam imperandi, vi armisque populum coërcendi, poenas delictis imponendi, tamen, si facultate morali, i. e. iure destitutus, eam exerceat, non pro iusto ac legitimo imperante, sed potius pro vsurpatore Imperii habendus, quia, qui ab alieno non abstinet, vsurpator dicitur. Hinc patet, facultatem & physicam, & moralem ad Imperium legitimum, vt definiuimus, pertinere. Idem agnouit PVFENDORF de Iur. nat. & gent. Lib. VII, C. III §. 1. *Praesupponimus,* inquiens, *vt imperium effectu suo potiatur, requiri tum vires naturales, queis subiectus, si forte, quod iniungitur, detrectare praesumserit, repraesentato aliquo malo possit cogi; tum titulum, ex quo iure aliis praestandum quid, aut omittendum queat iniungi; cui in istis respondet obligatio, eiusdem iussis obsequendi.*

In qualibet republica datur Imperium summum.

§. XVIII. *Imperium*, quod nullum alterum Superiorem agnoscit, dicitur *summum; subordinatum* autem, quod Superiorem agnoscit. Ast, quia homines rempublicam constituentes, statu antea gaudent naturali (§. 12. 13.), adeoque neminem, praeter DEVM, Superiorem agnoscunt (§. 1.); totus eorum coetus, quae ad communem securitatem salutemque spectant, existentia reddendi, facultatem habet nulli in terris Superiori subiectam & physicam, & moralem: physicam, siquidem viribus corporis, animae, aliarumque rerum ea, quae ad

ad prouehendam salutem publicam faciunt, praestare possunt: moralem, quando ipsa lege naturali obligantur, inire societatem, & rempublicam constituere (§. 11. 13. 16.). Non potest non igitur concedi; *vnicuilibet reipublicae integrae summum competere Imperium* (§. 17.).

Potest autem summum hoc Imperium vel penes totum esse populum, vel a populo vni, vel pluribus tribui; & vtrisque ita, vt Imperium ipsum vel aliquibus, vel plane nullis limitibus circumscribatur: vnde variae rerumpublicarum formae ortum trahunt.

§. XIX. Cura, in reipublicae salute eiusque securitate ponenda, inuoluit facultatem physicam & moralem, ea, quae reipublicae saluti inseruiunt, exsequendi (§. 15. 16.), i. e. Imperium (§. 17.). *Hinc, quicunque summam salutis reipublicae curam sustinet, summum habere debet Imperium*; & qui subordinatam, illi subordinatum Imperium tribuitur, & vice versa; *qui summum tenet Imperium, illi summa salutis reipublicae cura est gerenda* (§. 17.). Quisquis summo gaudet Imperio, ei etiam competit summa reipublicae salutis cura.

Sic, e. g. si populus ipse summam publicae salutis curam gerat, penes populum: si solus Rex, vel Princeps, penes Regem, vel Principem: si soli optimates, penes eos: si Rex cum optimatibus, vel hi cum populo, penes hos est summum Imperium.

§. XX. *Lex ciuilis* dicitur regula, ad quam a Magistratu ciues actiones suas conformare obligantur. Quum autem nulla facile respublica sine legibus ciuilibus deprehendatur, in necessitatem earum inquirendum est. Equidem lex naturae, quid bonum, vel malum, quidque faciendum, vel omittendum sit, per sanam rationem mortales edocet, & per commodum, vel incommodum, per naturam rerum cum actione connexum, eos ad bonum amplectendum, malumque fugiendum obligat; Legibus ciuilibus in republica opus est. Ratio I.

at, quotusquisque eſt, qui rationem ita ſibi excolendam ducat, vt bonum ſatis a malo diſtinguere poſſit? Fac, nonnullos etiam, ratione exculta, a bono malum diſtinguere poſſe; ea tamen in illis malitia, prauique affectus vehementia eſt, vt, abiecta omni obligatione naturali, in omne vetitum magno conatu ruant. Hinc respublica, bene conſtituta, legibus ciuilibus carere nequit, partim vt rudiores officiorum eo melius admoneantur, partim vt legi naturali aduerſantes ipſa poena ciuili, qua prauis hominum affectibus multo facilius, quam poena naturali frena iniiciuntur, a vitiis & flagitiis arceantur, & ita, quod virtutis amore recuſabant, formidine poenae praeſtare cogantur.

Ratio II. Huc accedit, quod, ſi ſecundum legem naturalem ſolam, licet in ſe ſufficientiſſimam, omnia eſſent diiudicanda, multae lites & controuerſiae propter malitiam hominum, genuinas negotiorum conditiones occultantium, nunquam ferme poſſent componi. Hinc ad finiendas componendasque controuerſias legibus opus eſt ciuilibus, quibus, licet interdum iniuria quaedam admitti videatur, maius tamen malum, ex litibus perpetuis oriturum, auertatur. Rationi enim conueniens eſt, ſi ſingulae obtineri non queunt perfectiones, maiorem minori praeferri debere.

Ratio III. Denique ipſi iudices ciuiles, proh dolor! in lege naturali haud raro ita ſunt hoſpites ac peregrini, vt ſecundum eam, praeſertim in caſibus difficilioribus, ius dicere haud queant; vnde legibus ciuilibus, tanquam norma, opus eſt, ſecundum quam & ius quaerentibus dicant, & poenas ſumant de legum transgreſſoribus. Conf. WOLFFIVS Pol. §. 401.

Vt

Vt rem exemplo illustrem, cum, *ex sola naturae lege, licet in se sufficientissima, de multis controuersiis constitui posse*, in ratione secunda *negauerim*, mecum consentientes facile habebo omnes, qui considerauerint, ex lege naturali tantum vsurarum creditori solui debere, quantum pro ratione vtilitatis, ex creditoris pecunia acquisitae, potest debitor. vid. WOLFF. Moral. §. 941. seqq. &, qui, quod ad hoc exemplum attinet, inprimis nominandus, GERHARD. NOODT. de Foenor. & vsur. L. I. C. VI. seqq. Opp. T. I. p. 186. seqq. Quando itaque satis notum est, quantum vtilitatis sibi debitor comparauerit, & quantae sint creditoris opes, haud difficulter ex adducto principio, quantum vsurarum soluendum sit, potest diiudicari. Ast, quamdiu, quaeso, partes hic litigabunt, antequam de vera commodi percepti summa constet? Et quoties fieri posset, vt, necessitate adductus, debitor, iniquam plane, & cum summo rerum suarum damno coniunctam vsuram creditori promittat? Hinc lege opus fuit ciuili, quae, medium seruans, certam vsurarum summam ad tempus certum pro quantitate pecuniae, mutua acceptae, determinaret. Licet igitur ex lege ciuili quidam debitores, maiorem quandoque vsuram pendere, teneantur, quam commode possunt; & quidam creditores minores vsuras accipiant, quam debitor pro vtilitate soluere potest, adeoque quaedam iniustitia secundum legem naturae admitti videatur; litibus tamen, alias inde orituris, hoc pacto facillime obuiam iri potest. Darem aliud de maiorennitate exemplum, nisi pro ratione instituti ad alia esset properandum. Conf. TREVER. ad Pufend. de Offic. H. & C. L. II. C. XII. §. 3. & 6.

§. XXI. Non desunt equidem viri, fama eruditionis florentissimi, qui, dum legem naturae de multis hominum negotiis, vtrum bona ac iusta, an mala & iniusta sint, non satis accurate constituere, arbitrantur; legibus ciuilibus in supplementum legis naturalis opus fuisse, contendunt. A quorum vero sententia pace eorum discedere nobis liceat. Sane, quaecunque in hoc *An leges ciuiles sint in supplementum legis naturae.*

vniuer-

vniuerſo deprehenduntur, a DEO condita, vel permiſſa ſunt, vt ad gloriam ſuam manifeſtandam ſiue directe, ſiue indirecte, faciant. Iam, quum actiones noſtrae liberae etiam ad vniuerſum praeſens pertineant, illae quoque ad DEI gloriam manifeſtandam aliquid conferre debent: quod autem fieri non poteſt, niſi aliquis ſemper euentus actiones noſtras liberas conſequatur: & talem conſequi, quotidiana etiam teſtatur experientia, ſiue ille ſit extra nos, ſiue in nobis, dum minimum hic actionis euentus ſe exerit, vt diſpoſitio & habitus, actionem illam facilius repetendi, nobis concilietur; ſiquidem actione ſaepius repetita, diſpoſitio & tandem habitus oritur. Euentus autem ille, qui ſequitur liberam actionem, vel ad perfectionem noſtram, vel ad imperfectionem facit, quia inter haec duo repugnantia tertium inueniri nequit: ſi ad perfectionem noſtram facit, eſt bonus, & conuenienter actio ipſa bona eſt; ſi ad imperfectionem noſtram facit, eſt malus, & hinc actio mala, quod ex definitionibus boni malique innoteſcit. Cum igitur ex omni actione noſtra libera alteruter euentus reſultet, per ſupra demonſtrata, *omnem actionem noſtram liberam vel bonam vel malam eſſe*, concedendum eſt. At lex naturae praecipit, vt omnia, quae noſtrum aliorumque ſtatum perfectiorem reddunt, i. e. bona faciamus, &, quae illum imperfectiorem reddunt, i. e. mala omittamus, (ſiquidem hoc primum legis naturalis principium eſt); hinc *lex naturae ubique praecipit, quid agendum, quidue omittendum ſit.* Nam, ſi aliusmodi res eſſet, actiones quaedam ſupereſſe deberent, quae nec bonae, nec malae eſſent, de quibus vtique lex naturalis, bona tantum praecipiens & prohibens mala, nihil

con-

conſtituere poſſet; ſed eiusmodi actiones per demonſtrata eſſe non poſſunt. Cum igitur lex naturae, quid agendum, quidque omittendum ſit, in omnibus caſibus obuiis praecipiat, omni iure dicitur *ſufficientiſſima;* & hinc, *leges ciuiles in ſupplementum legis naturalis latas fuiſſe*, nequaquam poteſt defendi: id quod bene annotauit WOLFFIVS Mor. §. 14. 19 27. & Pol. §. 401. Legem autem naturalem nondum in omnibus caſibus adhuc ſatis eſſe erutam, ipſe citatus WOLFFIVS Mor. §. 27. fatetur. Quae autem huius rei cauſſa ſit, apprime & rectiſſime dicitur a TREVERO ad Pufend. de O. H. & C. L. II. C. XII. §. 6. vbi, legem naturae, tenebris & difficultatibus circumdatam eſſe, & nunc quoque nonnullis tenebricoſam videri, exinde prouenire, oſtendit, quod ſuperſtitio, conſcientia erronea, praeiudicia auctoritatis, ſubtilis & occultus probabilismus, paſſionum dominantium imperium apud multos normas, regulasque agendi deſignent, & praeceptis iuris naturae admiſceant; quod iura diuina poſitiua, ciuilia, & canonicum legi naturali confundantur, & per neglectum ſtudii moralis non accurate ſecernantur.

Aſſerui, *omnem actionem liberam, vel bonam eſſe, vel malam*, & hinc, *non dari actiones indifferentes*, i. e. quae nec bonae, nec malae dici queunt. Negamus autem *actiones indifferentes*, 1) *ſi ſub circumſtantiis ſingularibus conſiderentur.* Etenim, ſi in genere & ſine circumſtantiis ſingularibus ſpectentur, multas, e. g. ſaltare, exſpatiari, & ſic deinceps, indifferentes eſſe, conceditur. 2) *abſolute tales, non reſpectiue.* Nam, cum emolumentum aut damnum, quorum alterutrum liberas noſtras actiones ſequitur, vel maius, vel minus ſoleat eſſe, (quo pertinent, quae de quantitate relatiua actionum tradit PVFENDORF de iur. nat. & gent. Lib.

I. C. VIII. §. 5.) saepe tam exiguum id esse potest, vt respectu maiorum negotiorum atque actionum fere non attendi queat; quale exemplum esset, si quaeratur; vtrum dextrum pedem prius mouere debeam, an sinistrum? Eiusmodi igitur actiones pro indifferentibus, sed *respectiue tantum*, *non absolute*, & in se possunt haberi, vt I. TH. C. in vsu Philos. Leibn. & Wolff. in Th. Cap. XI. §. 17. obseruauit. Quod si vero quis, leges ciuiles in supplementum iuris naturalis latas fuisse, asseruerit hoc sensu, quod casus per legem naturae quidem in se decisi, attamen in applicatione propter malitiam hominum decisu admodum difficiles, per leges ciuiles facilius decidi, & hac ratione lites componi possint debeantque, accedo omnino ad eius sententiam (§. 20. n. 2.).

Imperium summum summam leges ferendi potestatem inuoluit.

§. XXII. Dum respublica ad communem salutem & prouehendam, & stabiliendam legibus carere nequit ciuilibus (§. 20.), licet lex naturae in se sufficientissima sit (§. 21.); cura communis reipublicae salutis obtinendae efficax inuoluit potestatem leges ciuiles ferendi, eamque vel summam, si cura illa, quam quis gerit, summa sit; vel subordinatam, si cura, quae geritur, Superiori subordinata sit. Iam, quum ille, *qui summo Imperio gaudet*, summam reipublicae salutis curam gerere, obligatus sit (§. 19.), *summa quoque leges ferendi potestate gaudeat, necesse est.*

Necessitas poenarum in republica 1) in constitutione.

§. XXIII. Lex ciuilis est regula, ad quam Magistratus ciues, actiones suas conformare, obligat (§. 20.). At, quia obligatio in connexione motiuorum cum actione (§. 2. not.), & motiuum in repraesentatione boni, vel mali, qua voluntas, vel inclinatur ad aliquid agendum, vel ab agendo reclinatur, consistit, facile inde intelligi potest, in omni lege ciuili repraesentationem boni, vel mali, i. e. praemii aut poenae cum actione debere

bere esse coniunctam. Repraesentatio boni obtinendi cum actione suscipienda quidem connecti potest, si ab vno quodam, vel paucis actio suscipienda sit, vti, e. g. Princeps praemium ei solet proponere, qui furtum commissum manifestauerit, vel hanc aut illam nouam veritatem ostenderit. Verum enim vero, si actio ab omnibus suscipienda est, vel omittenda; si e. g. vt nemo furetur, Legislator praecipit; nimis pretiosum ac molestum foret Principi, per praemia populum ad obsequium, legi praestandum, allicere. Hinc, quia commode non potest fieri, vt Legislator per repraesentationem praemiorum obligationem, quam leges ciuiles inuoluere debent, impetret, nec tamen hae sine obligatione esse possunt, *sine poena lex ciuilis consistere non potest* (§. 3.). Cui accedit, quod Princeps, praemia proponendo, non agat vt Princeps, sed vt priuatus, quia idem priuato licet.

Non arbitror, fore, vt quis in dubium vocet, *nimis pretiosum & molestum futurum esse Principi, si per praemia populum ad obsequium, legi praestandum, allicere vellet.* Nam praemia essent, vel opes, vel honores, vel aliae immunitates, quae oblique ad haecce fortunae bona facerent. Sed, nec opes omnibus conferre potest Princeps, quia ad bonum commune stabiliendum atque obtinendum ipse per se iis opus habet: neque honores, quia hac ratione honor non amplius esset perfectionis internae hominis, qua vnus praestat alteri, documentum externum, quod tamen esse debet, vti WOLFFIVS Moral. §. 611. & 612. & Pol. §. 397. ostendit. Minime itaque ordinarie fieri potest, vt per praemia Princeps populum ad obsequium obligare queat; & hinc, dum nihil amplius restat, quam poena, quo obligari ciues possunt, lex ciuilis poena nequaquam carere potest. Tandem inter legem ciuilem & naturalem hoc etiam deprehenditur discrimen, vt illa, quantum ad superius

perius disputata attinet, tantum per poenas obliget; haec vero etiam per praemia a quolibet, qui ipsi obsequium praestat, obtinenda.

2) in exsecutione.

§. XXIV. Non vero, poenam solum lege constituisse, suffecerit; sed cum rigore etiam in transgressoribus exercendam esse, facile patescit. Nam, si poena, quam Legislator transgressoribus minatus est, non datur effectui; nemo poenas illas magnopere perhorrescet, nec earum consideratione ad officium, rectius praestandum, commouebitur; sed quilibet, ad aliorum exempla respiciens, sibi quoque, licet legem transgressus fuerit, Legislatoris gratiam pollicebitur. Vnde fiet, vt non solum perinde sit, ac si lex lata non esset; sed hoc ipsum cum magno auctoritatis legum, Legislatoris, & publicae salutis periculo esset coniunctum. Hinc satius nos esse ducimus, Principem poenam mitiorem in malas ciuium actiones constituere, eamque cum omni rigore exsequi, quam duriorem, postea saepius mitigandam, immo remittendam.

Imperium summum inuoluit summam puniendi potestatem.

§. XXV. Quia Imperium summum summam inuoluit leges ferendi potestatem, & subordinatum etiam subordinatam (§. 22.), lex autem ciuilis sine poena nequit consistere (§. 23. & 24.), fieri haud potest, *quin, qui summum gerit Imperium, summa quoque gaudeat potestate, legum transgressores puniendi*; & qui subordinatum tenet, poenas quoque sumendi, potestatem habeat subordinatam.

Et hine ius vitae & necis.

§. XXVI. Natura nihil homini vita melius, nihilque perfectius tribuit. Nam simul ac vita priuamur, omni alia, quae in mundo obtineri potest, perfectione priuamur. Et, cum omnis alia huius vitae perfectio ipsam vitam praelocet, ea est mortalium indoles, vt opes

opes atque fortunas, quas possident, intuitu ipsius vitae, tanquam summae perfectionis, parui aestimare soleant. Hinc summum poenarum esse gradum, quando vita delinquens priuatur, (qui poenae gradus dicitur *poena capitalis*), extra dubitationis aleam erit positum. Ast, quia salus totius reipublicae sine legibus obtineri nequit ciuilibus (§. 20.), legesque ciuiles sine poena sunt nullae (§. 23. & 24.), & hinc ille, qui summum gerit Imperium, summa potestate quoque, transgressores puniendi, gaudere debet (§. 25.); necesse est, *vt summo Imperanti, summa quoque, delinquentes vel ipsa vita priuandi, competat potestas*, si mitiores sc. poenae ad populum in obsequio seu officio continendum, non sufficiant: id quod *ius vitae & necis* dicitur.

Illae potestates aliquid agendi, quae a summo Imperio inuoluuntur, dici solent *regalia*. Vnde facile patet, summam potestatem leges ferendi, ac delinquentes puniendi, vt & ius vitae necisque ex numero esse regalium (§. 22. 25. 26). At, quamuis plura eiusmodi dentur, e. g. potestas bellum gerendi, pacem faciendi, monetas cudendi, cetera; tamen mitto ea, quia & ratio instituti, & temporis breuitas nos ad alia ducit.

§. XXVII. Dum autem varii poenarum gradus dantur (§. 26.), in quo casu poenae gradum intendi conueniat, inquirendum est. Poena est malum, quod Legislator cum actione, tanquam motiuum illius omittendae, connectit (§. 3.). Hinc patet, quo grauius delictum est, eo maiori grauiorique opus esse poena, vt per poenae grauitatem a grauitate delicti homines auocentur. Grauitas autem de icti ex damno, quod reipublicae inde infertur, aestimanda est. Sic, e. g. grauius omnino est delictum, alterum data opera occidere, quam furari, Casus, I. vbi poena intendenda est.

furari, quia per illud vita, per hoc autem bonis tantum priuatur homo. Hinc, si nullus respectus alius esset habendus, is, qui necem alicui attulit, poena grauiori, quam qui furatus est, afficiendus foret.

Casus II. §. XXIIX. Deinde, quum, teste experientia, ii, qui data opera, item, qui ex habitu, vt Philosophi loquuntur, male agunt, multo difficilius, quam, qui aliorum fortasse exemplo & persuasione adducti, item, qui semel, vel bis tantum & casu deliquerunt, a deuio vitiorum in viam virtutis reducuntur; poenae autem ciuiles ideo constitutae sunt, vt ciues a malis auocentur atque deterreantur (§. 3. 20.); *grauiori omnino poena afficiendi sunt, qui deliberato animo & ex habitu delicta committunt, quam qui aliorum exemplo commoti, & semel, vel bis tantum, idque saepius ex praecipitantia, vel leuitate animi, & casu delinquunt.*

Casus III. §. XXIX. Denique, licet iam graues in republica poenae delictis quibusdam constitutae sint; tamen fieri non raro solet, vt plures in ea non sine maximo reipublicae salutis detrimento ruant. Hinc apparet, poenam constitutam aut cum rigore adhuc non exercitam, aut nimis mitem positam fuisse. Si prius, obseruanda sunt, quae §. 24. adduximus; sin posterius, grauior omnino poena constituenda est, quia per ipsam poenam ciuilem a delictis ciues sunt absterrendi (§. 3. 20.).

Sic apud Iudaeos poena furti erat restitutio dupli, quadrupli, quintupli, Exod. 22. v. 1. seqq. septupli, Prov. 6. v. 31. pro ratione sc. rerum inuitis dominis ablatarum, quae etiam, quia hoc delictum apud eos fortean non admodum frequens erat, tunc temporis sufficiebat; apud nos autem minime sufficeret, quum homines nostra aetate multo magis ad furta & rapinas committen-

das

das, procliues ſint. Memorabile quid exhibet nobis Romana antiquitas. Decemviri in XII. Tabb. latione ob oris percuſſionem aliamue iniuriam non amplius vigintiquinque aeris gravis poenam conſtituerunt, quae pro temporum illorum inopia non erat fortaſſe tam levis, vt merito reprehenſione digni iudicari poſſent. vid. tamen A. GELL. L. XX. Noct. Attic. c. I. Prolatis vero Romanorum finibus, auctaque vrbe ſpoliis, & opibus exterorum, viluit ea poena. Quem enim iactura XXV. aſſium ab iniuria in tanta opulentia reuocaſſet? Vnde quid mirum, ſi L. Neratius, homo egregie improbus, homines & leges adeo ludibrio haberet, vt obuiorum os palma percuteret, oblatis continuo XXV. aſſibus per ſeruum, quem pecunia onuſtum ſecum circumferebat? cum igitur ea poena contemneretur, coeperunt a praetore iudices iniuriis aeſtimandis dari. GRAVIN. *in Orig. I. C. p. m. 364.* plura collegit THOMAS. *de naeuis Ipr. ante-Iuſtinian.* quem pretium erit ſublegere. Quum autem, *ſi plures in quoddam delictum ruant, eidem grauiorem poenam imponendam eſſe*, contendimus: loquimur quidem de pluribus, ſed tamen de ſingulis, ſeorſim conſideratis, a quibus eiusmodi delictum frequenter committitur, e. g. ſi crimen duelli, vel furti, vel aliud huius generis frequens eſt. Quid autem de pluribus, coniunctim ſumtis & ſocietatem aliquam conſtituentibus, ſive, quando vniuerſitas quaedam aliquod delictum committit, ſtatuendum ſit, capite ſequenti accuratione qua fieri poterit, pertractandum eſt.

CA-

CAPVT II.

GENVINAM DECIMATIONIS CONDITIONEM PROPONENS.

§. XXX.

Quid vniuersitas & delictum.

COetus eorum, qui, ad certum finem obtinendum, in societatem coëunt, dicitur *vniuersitas.* Hoc sensu ciuitas appellatur vniuersitas, quia est coetus ciuium, qui ad communem securitatem vitaeque commoditatem stabiliendam societatem ineunt. *Delictum* autem omnis ea dicitur actio, qua quis legem transgreditur. Hinc quia legis transgressionem sequi debet poena (§. 24. seqq.), poena consequens delicti debet esse, non innocentiae, quia alias innocens non praestaret delinquenti.

Plures autem vniuersitatis species dari, per transennam indicasse, sufficiat. conf. TITIVS *in Specim. Iur. Publ. L. VII. C. VII. §. 19.* BOEHMER *in Iur. Publ. Vniuers.* Part. Spec. L. I. C. III. HVBER. *de Iur. ciuil. L. II. S. III. C. I. seqq.*

Casus varii in delicto vniuersitatis.

§. XXXI. Delictum, ab vniuersitate quadam commissum, varii omnino generis esse potest. Aut enim quidam innoxii in toto coetu deprehenduntur, aut omnes delicti rei sunt. Si omnes deliquerunt, aut vnanimi consensu & proprio ausu deliquerunt, ita, vt delictum omnium aequale sit; aut quidam ab aliis, v. g. persuadendo, vi, exemplo &c. incitati, & hinc reliquis minus deliquerunt. Pariter, aut liquet, quinam sint innocentes intermisti reliquis, & quinam ex toto coe-

coetu grauius, qui leuius deliquerint; aut vtrumque non liquet.

§. XXXII. Si innocentes quidam reis sunt intermisti, & de vtrisque ita constat, vt a se inuicem separari queant, facile patet, innoxios, si poena sumenda est, a reis separandos esse, siquidem poena delictum sequi debet, non innocentiam (§. 30.). Pariter, si ex multitudine delinquentium quidam grauioris delicti noxii sint, & a reliquis, leuioris delicti reis, separari queant, illi omnino grauiori poena, his, afficiendi sunt, quia poenae grauitas grauitate delicti metienda est (§. 27.). Quod si vero omnes aequaliter delictum, capitis poena, lege ita volente, multandum, perpetrasse, constet, aut omnes, aut nulli, aut quidam tantum poena capitali sunt afficiendi; & si quidam tantum morte puniendi sint, reliquos vel omni vel certo saltim respectu impunitos dimitti, oportet.

Quid in illis faciendum?

Dum dico: *si quidam modo poena capitali afficiendi sint, reliquos vel omni, vel certo respectu impunitos esse dimittendos*, nostra mens haec est: Omni respectu impuniti dimittuntur reliqui, si non solum poena capitis ipsis remittitur, sed deinde etiam cum iis, qui non commiserunt delictum, simili fruantur sorte: certo respectu reliqui impuniti dimittuntur, si capitis absoluti, fustibus saltim mulctantur, aut tenui victu sustentantur, aut ad labores multo duriores, quin & illiberales atque probrosos quandoque destinantur, aliisque modis plectuntur.

§. XXXIII. Respublica ad communem salutem atque securitatem obtinendam legibus carere nequit ciuilibus (§. 20.); leges autem sine poena nullius momenti sunt (§. 23.), & poenae cum rigore sunt exsequendae (§. 24.). Hinc *fieri non potest, vt ex vniuer-*

Omnibus grauiter delinquentibus ex vniuersitate poena remittenda non est.

 sitate

ſtate ciuium vel militum, grauius delinquente, NEMO *puniatur.* Ita enim leges non minus, quam poenae in republica fruſtra eſſent conſtitutae, & ſpe impunitatis nimium delicta creſcerent non ſine maximo reipublicae detrimento; prouti CICERO pro Milone C. XVI. *ſpem impunitatis maximam peccandi illecebram* adpellat.

Nec tamen omnes afficiendi ſupplicio.

§. XXXIV. E contrario, ſi accidat, vt plures, vel vniuerſitas ciuium vel magnus militum numerus delictum aliquod capitale committat, ordinaria mortis poena omnes multare, non minus cum reipublicae ſalute, quam eius vtilitate pugnat. Magiſtratus ad ſalutem ſecuritatemque reipublicae obtinendam habere debet facultatem non tantum moralem, i. e. ius, ſed etiam phyſicam, i. e. potentiam, decreta reipublicae ſalutaria exſequendi (§. 16. 17.). Sed *potentia Principis*, vt bene obſeruauit WOLFFIVS Pol. §. 444. *duobus his abſoluitur; vt pecunia abundet, & populo*, ad quem ciues pertinent, & milites. In militum copia magnam potentiae Principis partem poſitam eſſe, facile intelliget, qui expenderit, non ſolum eos, qui debitum detrectant obſequium, vi armisque coërcendos, ſed etiam hoſtium inſultus a populo militum robore propellendos, & ita ſecuritatem terrarum atque ſalutem procurandam eſſe. Sed, quum Principi etiam opus pecunia ſit, vt non ſolum milites conſcribere, ſed ſtipendium illis etiam ſoluere, vt ſplendorem Maieſtatis ſuae tueri, vt illis, quorum opera ac ſtudio in adminiſtranda republica vtitur, quae ad victum cultumque corporis pertinent, ſuppeditare, vt aedificia publica exſtruere, vt denique ſcholas atque academias condere atque conſeruare queat; non mino-

rem

rem potentiae partem in pecuniarum copia consistere, apparet. Sed tantum, quantum satis est, pecuniae conquirere, vt & exercitum conscribere, non facile & semper potest Princeps sine eximio ciuium numero. Hinc quoque ciuibus in republica opus esse, quilibet, vel me non monente, videt. Idcirco *Principi in id allaborandum atque enitendum sedulo est, vt & pecunia abundet, & populo.* Ast, si in vniuersitatem magnam ciuium vel militum peccantem nimia seueritate ruere, omnesque trucidare vellet, se ipsum ciuibus vel militibus priuaret, adeoque non minima potentiae necessariae parte exueret; quod quo minus fiat, obstat salus Reipublicae, potentiam Principis requirens (§. 16. 17.). Hinc *fieri non debet, vt, si vniuersitas ciuium vel militum delinquat, OMNES capitali poena afficiantur.*

Bene hanc veritatem de vniuersitatibus peccantibus non in vniuersum delendis, iam perspexit SENECA Lib. II. de ira Cap. X. *In singulos*, inquiens, *seueritas Imperatoris distringitur: at necessaria venia est, vbi totus deseruit exercitus. Quid tollit iram sapientis? turba peccantium. Intelligit, quam iniquum sit & periculosum, irasci publico vitio.* Et memoria dignum est illud EPICTETI Lib. III. Cap. IV. *Nonne agricolae Ioui maledicunt, cum ab illo impediuntur? Nautae non conuitiantur? Nunquid maledicere Caesari desinunt? Ignorabat hoc Iupiter? non renunciatur Caesari, quid dicatur? Quid ergo facit? scit, si omnes conuiciatores supplicio afficeret, se, quibus imperaret, non habiturum* Notatu digna sunt quoque ea, quibus SENECA Librum I. de clementia finit: *Haec*, inquiens, *diuina potentia est, gregatim ac publice seruare; multos autem occidere & indiscretos, incendii ac ruinae potentia est.*

§. XXXV. Si vniuersitas ciuium vel militum grauiter delinquit, nec salus reipublicae patitur, vt nulli Sed aliqui tantum.

afficiantur ſupplicio (§. 33.), nec vt omnes (§. 34). Cum autem vel omnes, vel nulli, vel aliqui puniendi ſint (§. 32.); euidens eſt, *ALIQVOS tantum in hoc caſu eſſe puniendos.*

Nempe: *aliqui tantum morte multandi ſunt*, ſi grauitas delicti, quod admiſit vniuerſitas, poenam poſtulet capitalem. Nam, ſi delictum non ita graue eſt, ſed tantum poena ciuili & leuiori puniendum, omnes, qui huius delicti rei ſunt, omnino poena, lege conſtituta, affici poſſunt. Varios eiusmodi vniuerſitatem delinquentem puniendi modos adducit PVFENDORF de Iure nat. & gent. Lib. VIII. Cap. III. §. 28. ſi nimirum ſinguli bonis multantur; ſi vniuerſitati ob delictum publicum publica quoque bona adimuntur, puta, muri, naualia, naues bellicae, arma, aerarium, agri publici, priuilegia. Sic THEODOSIVS publicum delictum Antiochenorum, qui ob indictionem noui tributi ſtatuas Imperatoris, in foro ſitas, euerterant, puniuit interdicto ipſis theatri & balneorum vſu, & ademto vrbi nomine metropoleos, quo antea gaudebat. HERODIANVS L. III. C. VI. Et integrae prouinciae infamatae exemplum eſt in L. 9. C. Theodoſ. de indulgent. crimin. add. L. 5. C. Theodoſ. eod.

Decimatio quid ſit?

§. XXXVI. Poena, qua decimus quisque ſupplicio afficitur, vocatur *decimatio*.

Pari ratione, quid viceſimatio, triceſimatio, centeſimatio, cetera, ſint, facile hinc intelligitur.

Decimatio eſt admittenda.

§. XXXVII. In decimatione decimus quisque, & hinc aliqui delinquentium vita multantur (§. 36.). Hinc, dum ex vniuerſitate ciuium vel militum delinquentium aliqui tantum ſupplicio afficiendi ſunt (§. 35.), decimatio eſt admittenda; licet aliae cognatae ſpecies, viceſimatio, triceſimatio, vel ipſa centeſimatio poſſint pro re nata etiam adhiberi.

Vti decimationem delinquentium rationi conuenientem eſſe, demonſtrauimus; ſic non deſunt exempla illius varia, ex vetuſtio-

ris

ris aeque ac recentioris hiſtoriae monumentis petita. Antiquisſimum, quod inuenire potui, decimationis exemplum, quod quidem ad Romanos attinet, tradit LIVIVS Lib. II. *Appius Claudius Conſul*, inquiens, *aduocata concione, inuectus haud falſo in proditorem exercitum militaris diſciplinae, deſertorem ſignorum; vbi ſigna, vbi arma eſſent, ſingulos rogitans inermes milites, ſigno amiſſo ſigniferos; ad hoc centuriones duplicariosque, qui reliquerant ordines, virgis caeſos ſecuri percuſſit. Cetera multitudo, ſorte decimus quisque ad ſupplicium lecti.* Pariter *Antonius, quum Medi vallum adgreſſi terruiſſent propugnatores, indignatus decumauit eos, qui locum deſeruerant: diuiſos enim in decurias ſortitus eſt, ita, vt decimum quemque afficeret ſupplicio; reliquos pro frumento pauit hordeo, teſte* APPIANO Rom. Hiſtor. de bellis Parth. pag. 275. edit. Amſtelod. de anno 1670. Idem Lib. I. de bellis ciuilibus pag. 705. refert: *Licinium Craſſum, productis in aciem omnibus legionibus, quum male pugnatum eſſet, tum demum decimaſſe, nihil deterritum multitudine, quod ſic deperirent ferme IIII. M.* Eodem modo *Iulius Caeſar, ſeditione militum exorta ad Placentiam, totam nonam legionem decimare volebat, idque aegre cunctanterque exoratus, hactenus poenam remittebat, vt ex CXX. ſolis, qui praecipui ſeditionis auctores videbantur, in duodecim ſorte ductos animaduerteret*, prout APPIANVS teſtatur Lib. II. de bellis ciuilibus pag. 750. & 751. Nec praetereundum eſt exemplum memoratu dignum, quod idem APPIANVS Lib. II. de bell. ciu. pag. 766. de Iulii Caeſaris militibus, qui ex praelio Dyrrachino, contra Pompeium M. ante inſignem iſtam cladem in campis Pharſalicis facto, aufugerant, adducit; *diuinitus*, inquiens, *tacti poenitentia peccatum agnoſcebant, & Imperatore clementer incuſante, vltroque dante veniam, tanto minus ſibi ignoſcebant, ſed mirum in modum mutati depoſcebant decimationis ex more patrio ſupplicium.* Simile exemplum Lib. II. de bellis ciu. pag. 796. apud APPIANVM reperitur, vbi poſtulant milites a Caeſare, *vt in decimum quemque capitaliter more maiorum animaduerteret.* Pariter exemplum centeſimationis obſerua-

Decimationis exempla

mus in Opilio Macrino, qui, CAPITOLINO *teste, cum seditiones militares pateretur, multos saepius decumauit, aliquando etiam centesimauit, quod verbum proprium ipsius erat, cum se clementem diceret, quando eos centesimaret, qui digni essent decumatione vel vicesimatione.* Omitto in praesenti alia decimationis exempla, quae passim apud scriptores antiquiores SVETONIVM in vita Augusti Cap. XXIV. PLVTARCHVM in vita Dionis & Antonii, aliosque reperiuntur, ex quibus omnibus satis patet, *tam vsitatam apud Romanos fuisse decimationis poenam, vt pro lege patria haberetur.* Sic milites Iulii Caesaris, de quibus paullo ante diximus, *ex more patrio*, & alio tempore, *more maiorum* decimationis deposcebant supplicium. Et propriam Romanis istam legem & patriam dixit DIONYSIVS Lib. XI. *Ex alia multitudine*, inquiens, *cuiusque decuriae vir vnus, quem sors designasset, ante ceteros periit. Ea Romanis patria quaedam punitio est in eos, qui ordines reliquerunt, aut signa deseruerunt.* Cum quo facit etiam PLVTARCHVS in Crasso; *πάτριόν τι κόλασμα*, i. e. *patriam punitionem* hoc ipsum appellans. Vnde, quando apud APPIANVM de bellis ciuilibus Lib. II. pag. 750. Iulius Caesar ad Placentiam milites alloquitur: *Vtar τῷ πετρείῳ νόμῳ*, i. e. *lege Petreia & nonae legionis, quoniam ea seditionem maxime coepit, decimum quemque sorte ad mortem ducam;* ad haec verba haud male, vt nobis quidem videtur, IVSTVS LIPSIVS de militia Romana Lib. V. Dial. 18. commentatur, dum pro τῷ πετρείῳ νόμῳ potius τῷ πατρίῳ νόμῳ, i. e. lege patria, legendum esse statuit, quia Petreius aliquis, a quo haec lex lata sit, in veteri aeuo ignoretur. Quemadmodum autem apud Romanos vsu recepta erat decimatio; sic eandem lege in Germania constitutam esse, deprehendimus. Huc omnes fere articuli militares, tam a toto S. I. R. G. quam a singulis statibus promulgati, collineant, vti facile quilibet, cui volupe est, videre potest apud LVNIG. in Corp. Iur. Milit. Des H. R. Reichs, vbi consule indicem, sub artic. Abtrünnige Trouppen, Aufruhr, Feld-Flüchtige, Meuterey 2c. 2c. Mihi vnicum locum ex Iure Milit. Saxo Gothano excerpsisse sufficiat, in quo Artic. II. Tit.

Tit. VI. haec ordinantur: Jugleichen sollen auch dieienigen, die, wenn es zum Treffen, oder Stürmen kömmt, die Flucht nehmen, ehe sie ihre Seiten-Gewehre gebrauchet, und in einen solchen Zustand gerathen, daß sie sich desselben nicht mehr bedienen können, vor dem Kriegs-Recht Rede und Antwort zu geben schuldig seyn, und von den Gemeinen Soldaten allezeit der zehende Mann nach dem Los aufgehencket werden, die übrigen aber ausser dem Lager ohne Fahne liegen, und das Lager, so es unrein ist, zu saubern und zu reinigen schuldig seyn, auch an die gefährlichsten Oerter commandieret werden, biß sie ihr Verbrechen durch darauf erfolgte männliche Thaten gnugsam gebüsset. Da sich aber bey den Befehlshabern der Mangel befinde (es mag gleich der Mangel bey ihme alleine, oder zugleich mit den Gemeinen gewesen seyn), sollen sie vor ehrloß gehalten, und (admirare sapientissimi Principis clementiam) aus dem Lager geiaget werden. Decimationis adspectu terribilis, & cetera notabilis exsecutionem suscepit anno 1642. Imp. Ferdinandus III. Nam, cum milites eius haud procul ab vrbe Lipsia ad vicum Breitenfeld cum Suecis praelium imisissent, & ab vtrisque ancipiti quidem fortuna per duarum horarum spatium ferme pugnatum esset, accidebat, vt integrae turmae Caesareorum, sicut instructae erant, loco cederent, & sic hoste vehementius instante, omnes ex praelio turpiter excedere tandem cogerentur; quo facto, cognita causa, decimus eorum quisque, a quibus turpissimae fugae initium factum constabat esse, supplicio est affectus. Ipsam Imperatoris sententiam exhibet LVNIG in dem Anhang zum Corpore Iuris milit. pag. 211. seqq.

§. XXXVIII. Non solum autem ideo, si vniuersitas ciuium vel militum grauiter delinquat, decimationi locus esse potest, ne ciuibus vel militibus respublica nimis priuetur (§. 34. seq.), siquidem is, qui semel deliquit, nihilominus deinde vtile Reipublicae membrum esse potest, trucidatus autem non item; sed aliae quo- Vtilitas decimationis.

quoque rationes adſunt, quae decimationem omnino ſuadent. Ex conſideratione beneficiorum gratus oritur animus. Non enim alia ratione grati animi virtutem excitare ſolemus, quam per beneficiorum repraeſentationem. Quod ſi vero ciues vel milites, qui omnes vltimo ſupplicio afficiendi erant, tantum decimantur, & hinc plurimis vita, qua iure quoque priuari potuiſſent, donatur, ſummum cognoſcunt, quod hoc modo iis exhibetur, beneficium. Quid aliud inde oriri poteſt, quam gratus animus? Quid aliud autem gratus animus parere poteſt, quam ſummam alacritatem, fortiter conſtanterque deinceps officium ſuum exſequendi, & hoc modo priſtinum delictum compenſandi? Ne dicam, eos, qui ex decimatione ſuperſunt, ad operas viliores & magis periculoſas aut taedioſas praeſtandas poſſe adhiberi.

Easdem, decimationem ſuadentes, rationes & teſtimonia, & exempla veterum confirmant. Eleganter M. TVLLIVS de iſta militari conſuetudine diſſerit in Oratione pro Cluentio; *ſtatuerunt ita*, inquit, *maiores noſtri, vt, ſi a multis eſſet flagitium rei militaris admiſſum, ſortitione in quosdam animaduerteretur; vt metus videlicet ad omnes, poena ad paucos perueniret*, & ſtatim: *Nam miles, qui locum non tenuit, qui hoſtium impetum vimque pertimuit, poteſt idem poſtea & miles eſſe melior, & vir bonus, & ciuis vtilis. Quare ne in bello propter hoſtium metum delinqueret, amplior ei mortis & ſupplicii metus eſt a maioribus conſtitutus; ne autem nimium multi poenam capitis ſubirent, idcirco illa ſortitio comparata eſt.* Et quod ad alacritatem attinet, fortiter & ſtrenue res ſuas agendi, a ſuperſtitibus decimatorum exſpectandam, exemplum notatu dignum Iulii Caeſaris poſt cladem Dyrrachinam, a Pompeio acceptam, narrat APPIANVS Lib. II. de bell. ciu. pag. 766. cuius verba ſunt: *Milites, poenitentia tacti, peccatum*

tum agnoscebant, & Imperatore clementer incusante, vltroque dante veniam, tanto minus sibi ignoscebant, mirumque in modum mutati deposcebant decimationis ex more patrio supplicium. Quod, quum remitti sibi viderent, eo magis pudebat admissi dedecoris, in cuius minime oportebat iniuriam, expetebantque ad necem signiferos, quasi non fuissent fugituri, nisi qua signa verterent. Vt vero Caesar, ne hoc quidem passus, vix in paucos animaduertit, ad hanc eius moderationem tanta exorta est alacritas, vt mox conclamarent: duceret se in hostem, victoria noua abolituros ignominiam; & vltro caternatim coniurarent, inspectante Imperatore, nonnisi victores se redituros e praelio; Cuius promissi ita etiam erant memores, vt in celeberrima pugna Pharsalica Pompeium, qui paullo ante victor fuerat, penitus acie superarent. Sapienter etiam hanc in rem apud PLVTARCHVM in vita Dionis Lib. 55. Liuia loquitur: *Quibus delicti venia est donata, poenitudine ducti, benefactorem laedere in posterum verentur, sed spe consequendi maiora praemia eum suis officiis colunt. Videlicet, qui iniuria affectus, salutem eam inferenti concesserit, eum omnes putant beneficia summopere compensaturum.* Denique superstites ex decimatione durioribus operis adhiberi olim solitos fuisse, testatur POLYBIVS L. VI. τοῖς δὲ λοιποῖς, inquiens, τὸ μέτρημα κριθὰς διδὺς ἀντὶ πυρῶν ἔξω κελεύει τῦ χάρακος, καὶ τῆς ἀσφαλείας ποιεῖσθαι τὴν παρεμβολὴν, i. e. *reliquis hordeum frumenti loco admetitur, & extra castra locum adsignat, & vallum securitatis conficere iubet.*

§. XXXIX. Dum poena est malum, quod praecedens delictum sequitur (§. 23. 24.), merito, qui vno consensu delictum aliquod aequaliter perpetrarunt, aequali supplicio sunt afficiendi, siquidem ratio videtur nulla, cur hic & ille tantum delictum luant, reliqui vero id inultum ferant. Ast, vniuersitate quadam, eaque maiore delinquente, salus reipublicae, quae suprema in republica lex est, non patitur, vt omnes aequali capitis poena afficiantur (§. 34.), sed decimatione potius, aut

Decimatio forte est instituenda.

aut alia specie poenae cognata in delinquentes animaduertendum est (§. 37. 38.). Hinc, quia salua salute reipublicae non potest fieri, vt omnes aequaliter capite, etiamsi omnes capitis rei sint, multentur; aequum tamen est, vt omnes mortis metu aequaliter percellantur, vtpote quod salua reipublicae salute potest fieri, conuenienterque *ille decimationis modus sine dubio reliquis est praeferendus, per quem, licet poena ad paucos, metus mortis tamen ad omnes peruenit.* Ast, si delinquentes sorte, siue aleae iactu, siue fortunae vrna, seu alia ratione vti debent, omnes aequaliter anxii perterritique stant sub ipso ictu quasi mortis, quolibet verente, ne sibi iam dies supremus instet. Vnde sequitur, *decimationem delinquentium sorte esse instituendam.*

Sic, ne iam repetam exempla paullo ante (§. 37. not.) enarrata, *L. Apronium decimum quemque ignominiosae cohortis, sorte ductos, fusti necasse,* narrat CORN. TACITVS Annal. Lib. III. Cap. XXIV. n. 1. Idem in oratione C. Cassii, postulantis, vt omnis seruorum familia Pedanii Secundi, qui a seruo suo, quem ignorabant, trucidatus fuerat, necaretur, haec verba refert: *At quidam insontes peribunt: Nam & ex fuso exercitu, cum decimus quisque fuste feritur, etiam strenui non sortiuntur?* vid. eius *Annal.* Lib. XIV. Cap. XLIV. n. 6. Et optime, sorte olim decimationem factam esse, testatur POLYBIVS Lib. VI. totam decimationis rationem exponens: verba eius ex versione IVSTI LIPSII de militia Romana Lib. V. Dial. XVIII. p. 347. sunt haec: *Quod si plures peccasse contingat, & manipulos aliquot simul locum deserere: omnes quidem fuste percutere aut occidere nolunt, modum autem rationemque repererunt & commodam pariter, & terribilem. Exercitum enim aduocans Tribunus, & in medium noxiis productis, acriter eos incusat, & interdum quinque, alias octo, aut viginti, & vt semel dicam, ad multitudinem semper respiciens, vt decima fere pars delinquentium sit, hos ex omni-*

omnibus ignauis sortitur: & in quos ea sors cecidit, sine vlla deprecatione, fuste percutit ad modum iam dictum. Reliquis bordeum pro tritico admetiens, iubet extra vallum tendere & tutelam castrorum. Ita periculo & metu a sorte aequaliter omnibus impendente, & exemplo item dati bordei ad omnes perueniente, plurimum ex eo more capitur & terroris & correctionis. Ad quae verba bene commentatus est LIPSIVS l. c. pag. 348. *Vides decimum quemque sorte captum: decimum dico: nec fallent* POLYBII *verba, qui ait; interdum quinque, alias octo aut viginti periisse, non quasi quintus aut octauus interfecti; sed pro numero delinquentium vult ex iis interdum tot & tot occisos. Pone quinque decurias peccasse: quinque punientur; pone octo, octo; viginti, viginti: atque hic est sensus. Non tamen nego etiam vicesimationem interdum adhibitam, immo & centesimationem.*

§. XL. Natura nil vita homini melius, nihilque perfectius tribuit (§. 26.). Quum igitur in decimatione decimus quisque delinquentium tantum supplicio afficiatur (§. 36.), reliquis autem, quorum maxima pars est, quique eiusdem delicti suppliciique rei sunt, vita donetur, in ipsa decimatione ostendit Princeps, se ad perfectionem aliis conferendam, omni studio promtum paratumque esse. Sed studium aliis perfectiones conferendi, *bonitas* appellatur; vnde *in ipsa decimatione bonitatis documentum dare Principem*, sequitur. In decimatione est BONITAS

Sc. decimando Princeps ipsum supremum NVMEN imitatur, quod fulmine, de coelo misso, multos terret, sed misericordia tactum, paucos ferit, vt paucorum exemplo multi sapere doceantur. Et hoc pacto *Princeps & amorem conseruat populi & timorem excitat*, quae sane duo sunt felicis regiminis fulcra, vt boni amore Principis ducti, mali autem poenae formidine coacti, legum praescriptis obtemperent.

Vt & SAPIENTIA.

§. XLI. Ad salutem reipublicae non solum opus est, vt delicta puniantur (§. 23. 24.), sed etiam vt Princeps populo, i. e. ciuibus militibusque, abundet (§. 34.), denique, vt a populo cum amore timeatur, & ametur cum timore (§. 40. not.). Hinc, si Princeps delicta punit, & parcit tamen populo, ita, vt in sibi subiectorum animis timorem non minus, quam sui amorem excitet; media, saluti reipublicae conuenientia, adhibere omnino censendus est. Iam decimando Princeps delinquentes & punit, dum decimus quisque supplicio afficitur, & parcit simul populo, dum decima tantum delinquentium pars delictum sanguine luere debet (§. 36.), & amorem pariter ac timorem excitat (§. 40. not.): vnde nemo dubitabit, quin Princeps, delinquentes decimando, conuenientissimum medium ad reipublicae salutem, tanquam finem legitimum (§. 12.), obtinendam adhibeat, eique subordinet. Sed, quum subordinatio mediorum conuenientium, fini legitimo facta, *sapientia* dicitur; *Princeps, decimando delinquentes, sapientiam suam ostendit.*

Studiose ad sapientiam requirimus 1) *vt media fini conuenientia subordinentur.* Etenim, si quis adhibet media ad finem obtinendum, quae ad illum non faciunt, aut eidem plane aduersantur, non sapientis, sed stulti nomine insignitur. 2) *vt finis sit legitimus*, i. e. qui legi naturae & diuinae conueniens est. Nam si media conuenientia subordinantur fini malo & illegitimo, astutia potius, quam sapientia dici debet.

& hinc IVSTITIA

§. XLII. Bonitatem cum sapientia administratam vocamus (cum WOLFFIO in Metaphys. §. 1084. & Mor. 1020.) IVSTITIAM. Hinc cum Princeps, in delinquentes decimatione animaduertens, bonitatem cum sapientia admi-

adminiſtret (§. 40. 41.), *quin ipſam iuſtitiam exerceat, nemini dubium eſſe poteſt.*

Si quis forte reperiatur, qui datam iuſtitiae definitionem in dubium vocet, ad aliorum iuſtitiae definitiones attendat, velim. Secundum Ariſtotelis iuſtitiae definitionem, quam inter alios ICtorum etiam celeberrimus Lauterbachius in ſuo compendio ff. adoptauit, *juſtitia eſt habitus, ex quo homines ad res iuſtas agendas idonei efficiuntur, ex quo etiam iuſte agunt, voluntque iuſta*, Ariſt. V. Eth. 1. Sed obſtat huic definitioni regula Logicorum, quod definitum definitionem ingredi non debeat, quia definitum ter in definitione ipſa continetur. Hinc ab aliis rectius *iuſtitia* dicitur *virtus ſuum cuique tribuendi.* Sed haec definitio quoad ſenſum a noſtra haud differt. Quid enim eſt aliud, *vnicuique ſuum* i. e. ipſi debitum tribuere, quam bonitatem cum ſapientia adminiſtrare? Vbi *ſuum* tribuitur cuique, ibi praemium datur digno, & bonitas exercetur in eum, in quem exerceri temporis rerumque rationes poſtulant, & punitur, bonitatisque fructu priuatur, qui eadem indignus eſt. Sed quid hoc eſt aliud, quam bonitatem adminiſtrare cum ſapientia, i. e. pro rebus cum fine conſentientibus (§. 41.). Exemplo rem illuſtrabo. Princeps iuſte agere dicitur, ſi bene ac laudabiliter facta remuneratur; ſed bonitatem hoc modo exercet cum ſapientia, quia eius ſtatum perfectiorem reddit, qui meruit, quo & ipſe, & alii, hoc exemplo inuitati, ad bene deinceps agendum, omnes neruos contendant, omnemque lapidem moueant. Si Princeps punit delicta, ſaluti reipublicae aduerſa, iuſtitiam exercere, dicitur. Sed tunc pariter bonitatem cum ſapientia adminiſtrat, ſuſpendendo in illo bonitatis actum (ſiquidem omnis poena priuatio boni eſt (§. 3.),) qui per praecedens delictum ea ſc. bonitate indignum ſe reddidit, ne, bonitate in delinquente etiam exercita, delicta in damnum reipublicae creſcant. Et ne, quae ab aliis iam copioſe, ſolideque ſunt diſputata, pluribus repetam, BVLFFINGERI Dilucidationes Philoſophicae de DEO, anima humana, & mundo §. 445. --- 452. conferantur, velim, vbi quidquid ad iuſtitiam rectoriam eamque tam remuneratoriam, quam

vindicatiuam, & aequatoriam, eamque tam attributricem, quam expletricem pertinet; & quidquid de fine poenarum tam externo, qui est emendatio delinquentis, vel aliorum, quam interno, qui satisfactorius vel expiatorius alias appellari solet, alias docetur; id omne in nostra definitione contineri, egregie ostenditur. *Cur igitur*, inquis, *vestra definitio vulgari praeferenda fuit*, quum, licet vel maxime verbis, sensu tamen, ab illa non discrepet? Nostra definitio plura, quam vulgaris ista, in se continet. Nam 1) explicat fontes iustitiae, bonitatem nimirum & sapientiam. 2) explicat, quod sit τὸ suum cuique per allegationem sc. sapientiae & consequenter conuenientiae antecedentium & consequentium in rebus. 3) inuoluit, aut supponit veritatem de poenis consistentibus formaliter in defectu bonorum. 4) propriissimo, vt ita loquar, sensu ad DEVM applicari potest, etiam in casibus remunerationis, cuiusmodi est ille Paulli 2. Timoth. 4. v. 8. vbi iustum iudicem DEVM appellat, vbi de remuneratione loquitur gratuita; quae sunt meditationes cit. BVLFFING. l. c. §. 445. Ceterum, si non obstantibus iis, quae iam plurimis dicta sunt, tamen de iustitia, decimationi vindicata, adhuc dubites, *ex ipsa vulgari receptaque definitione iustitiae, assertionem nostram demonstrabo.* Iustitia est virtus, suum cuique tribuendi. Sed in decimatione tribuitur suum cuique, sc. decimo poena capitis, quae cuique omnino pro ratione delicti τὸ suum est, ita, vt nil, de quo querantur, habeant; reliquis autem supplicii venia, quia haec ipsis, non quidem in se, attamen respectu salutis reipublicae conservandae, τὸ suum est (§. 34. 37. 38). Hinc in decimatione iustitia exercetur. Quando autem HVBERVS de Iur. ciuit. L. II. S. III. C. VI. n. 13. *decimationem, aliasue graues poenas, qua nocentes & innoxii inuoluuntur, magis ad publicae vtilitatis, quam iustitiae & aequitatis exempla referenda esse, dicit*; id nos minime ferit, cum ex eius verbis sua sponte fluit, eum loqui de decimatione, illegitime sc. in sontes insontesque sine discrimine instituta, quae omnino omne ius omnemque aequitatem tollit; videantur itaque, quae monuimus §. 32. & infra §. 56. Deinde etiam vide-

videtur esse intelligendus de iustitia rigorosa punitiua, quae, non habito ad salutem publicam respectu, omnium sontium supplicium postularet.

§. XLIII. *Ius aggratiandi* dicitur ius, delinquenti poenam mitigandi, vel, si salus reipublicae postulet, plane remittendi. Hinc, quum in decimatione plurimis, quibus etiam capitis poena ob aequale delictum infligenda erat, ea remittitur, *decimatio est species aggratiationis*, in quo etiam consentit B. Georg. Adam STRVV in Syntagm. Iur. prud. Exerc. 49. §. 90. Decimatio est species aggratiationis.

Bene est ponderandum, si dico: *si salus reipublicae postulet, in aggratiatione poenam capitis remittendam esse.* Nam, licet ordinarie salus reipublicae exigat, vt delicta puniantur, idque vel ipsa capitis poena, si mitior non sufficiat (§. 24. 26.), dari tamen possunt casus rariores, vbi salus reipublicae poenae capitalis remissionem postulat; vti fit in decimatione, vel si vir praeclare de republica meritus, & deinceps meriturus, ita vt in vita eius magna pars salutis publicae posita sit, forte delinquat. In quo casu, licet poena remittenda, id tamen agendum est, vt ratio remissionis omnibus nota fiat, vel efficiatur, ne alii, in circumstantiis diuersis constituti, similem clementiam, veniamque exspectent; vt bene monet WOLFFIVS Pol. §. 345.

§. XLIV. At, quia in decimatione decimus quisque supplicio afficitur (§. 36.), illa simul est modus sumendi poenas capitales (§. 26.), & hinc ius decimandi est species iuris vitae necisque (§. 16.). Vt & modus sumendi poenam capitalem.

Sc. ex gratia & rigore mixta est decimatio diuerso respectu. Rigor adest respectu punitorum; gratia respectu illorum, quibus venia concessa est.

§. XLV. Quicunque summam reipublicae salutis curam gerit, ille debet habere potestatem, delinquenti, si ita salus reipublicae postulet, poenam capitis remitten- Summus Imperans habet ius decimandi.

mittendi, seu minuendi (§. 43.). Nam si hac careret, summam illam curam, saltim in hoc casu exercere nequiret. Hinc, cum summus Imperans summam reipublicae salutis curam in omnibus gerere debeat (§. 19.), summo Imperanti etiam competat, necesse est, ius delinquenti, si ita salus postulet reipublicae, poenam capitis remittendi, i. e. ius aggratiandi (§. 43.), vt adeo aggratiatio sit e numero regalium (§. 26. not.). Quisquis autem iure vitae & necis & aggratiandi gaudet, is etiam gaudet iure, delinquentes decimandi (§. 43. 44.). Ergo summus Imperans merito iure decimandi gaudet (§. 26.).

Dum summo Imperanti ius aggratiandi tribuimus, priuatiue id intelligendum est, h. e. ita, vt Magistratibus, ab eo constitutis, & eius nomine ius dicentibus, non competat. Nam, dum tali Magistratui, ab alio dependenti, competit tantum facultas secundum leges, a supremo Imperante datas, ius dicendi, & transgressores secundum normam earundem puniendi, non vero potestas leges, a summo Principe latas, mutandi, aut ab iisdem recedendi, euidens est, illi non competere ius veniam dandi delinquenti, qui secundum legem superioris poena, praecipue capitali, erat afficiendus.

An Magistratus inferiores illud habeant?

§. XLVI. *An ergo Magistratui inferiori, nomine Supremi ius dicenti, nullo in casu licebit decimationem instituere?* Distincte, ita reor, respondendum. Si lex summi Imperantis non ipsam decimationis poenam exprimit in casu vniuersitatis delinquentis, sed poenas tantum pro singulorum diuersitate delictorum definit, Magistratui inferiori v. g. proregi, vel summo militiae praefecto, non nisi iussu Supremi expresso licet decimationem instituere. Nam decimatio species aggratiationis est (§. 43.), sed ius aggra-

aggratiandi ad ſolum pertinet ſummum Imperantem (§. 45. not.). E contrario, ſi ſupremus Imperans iniungat, vel facultatem concedat Magiſtratibus inferioribus, vt in certis vniuerſitatum delictis decimationem ſuſcipere debeant, poſſintque, aut eiuscemodi poena more recepta ſit, eam inferior Magiſtratus quoque exercere poteſt, quamuis tunc non proprio, ſed ſupremi Imperantis agat nomine; immo etiam huius conſenſus expreſſus, ſi iura eum poſtulent, ante ſententiae exſecutionem ſit impetrandus. Quis dubitabit enim, quin ſupremi Magiſtratus leges, poenasque iuſte conſtitutas, quo tunc & decimatio referenda (§. 42.), exſequendo, iuſte etiam agat Magiſtratus inferior, ſiquidem hoc ipſum eius inferioris officium eſt? Denique, ſi ſupremus Imperans Magiſtratui inferiori generale mandatum dedit, vt omnia, ad ſalutem reipublicae facientia, pro arbitrio ſuaque conſcientia agat, pariter ei licebit, rerum neceſſitate exigente, poena decimationis in copiam delinquentium animaduertere. Generale huius quippe indolis mandatum in ſe continere ſpeciale, & hinc idem eſſe, ac ſi ſpeciatim decimandi poteſtas conceſſa eſſet, demonſtratu facillimum eſſe, iudico, vt etiam intellectu.

Non deſunt antiquitatis exempla, quae ſententiam noſtram ſatis confirmant, ex quibus vel vnum ſaltim adiunxiſſe ſufficiat. Sic relatum legimus, Iulium Caeſarem milites ſeditioſos ad Placentiam inſalutato S. P. Q. R. more patrio ita ferente, decimaſſe, dum, *Tractabo*, inquiebat, *vos lege Petreia*, (vel rectius lege patria) *& nonae legionis decimum quemque ſorte ad mortem ducam* (§. 37. not.). Quum autem ius aggratiandi (§. 45. not.), & hinc decimationem, tanquam ſpeciem aggratiationis, etiam ſoli ſupremo Imperanti competere, demonſtrauimus (§. 43.), & nihilominus

ominus Magistratui inferiori etiam in certis casibus tribuimus hanc potestatem decimandi (§. 46.), probe obseruandum est, solum summum Imperantem proprio nomine & iure suo decimare; Magistratum autem inferiorem alieno; summum Imperantem legem de decimando ex potestatis plenitudine ferre & hoc ipso aggratiationem exercere; Magistratum e contrario inferiorem datam legem tantum ex officio exsequi.

Status Germaniae immediati habent ius decimandi.

§. XLVII. Vt ad specialia descendamus, quaestionem examinare libet; *An Serenissimis Principibus & statibus Imperii Germanici ius decimandi subiectos proprios delinquentes competat?* Status Imperii Germanici vel immediati, vel mediati sunt. *Immediati* dicuntur, qui nullum in terris Superiorem, nisi Imperatorem Romanorum & totum Imperium Germanicum agnoscunt; *Mediati*, qui praeter Imperatorem & totum Imperium alium etiam statum immediatum Superiorem agnoscunt. Statibus Imperii immediatis sine dubio competit potestas, leges & statuta in terris suis proprio nomine condendi, vti ex iure publico satis perspectum est. Conf. COCCEIVS in iuris publici prudentia Cap. XXIII. §. 3. seqq. Sed quisquis habet potestatem leges & statuta in terris suis proprio nomine condendi, is potestate etiam gaudere debet non solum leges datas exsecutioni dandi, & hinc transgressores vel ipsa capitis poena coërcendi, quia alias lex frustra & sine effectu data esset; sed etiam vbi salus id postulat publica, a lege data recedendi siue per legem contrariam, siue per priuilegium, siue per delinquentis aggratiationem. Nam si hac potestate non gauderet, non posset potestas legislatoria plene de illo praedicari. Vnde sequitur, statibus Imperii immediatis,

tis, ad quos Serenissimi Germaniae Duces pertinent, competere non solum ius vitae & necis, sed etiam ius aggratiandi, proprio nomine exercendum. Hinc, cum ius decimandi delinquentes sit species & iuris vitae necisque & aggratiandi (§. 43. 44.), *Statibus Imperii immediatis, & hinc etiam Serenissimis Germaniae Ducibus, ius decimandi proprio nomine competit.*

Non obstat, quod Ducatus Principatusque Germaniae feuda Caesaris sint; vnde status Imperii immediati non proprio, sed alieno nomine eam potestatem exercere videantur. Nam hoc ipsum ius illi habent ex feudo, vt proprio nomine potestatem leges ferendi & abrogandi, & quaecunque inde sequuntur, nempe ius gladii & aggratiandi & alia eiusmodi Superioritatis territorialis exercere possint, licet inter corpus & membra Imperii non solum vinculum feudale intercedat, sed praeter dominium directum, supremum eminensque in statuum singulorum territoria Caesari & Imperio competat, vt ostendit IOH. MICH. LANGGVT in animaduersionibus in Coccell prudentiam iuris publici ad Cap. XXI. §. 6. n. 3. 4. pag. 356. seqq.

§. XLVIII. At, quod ad status Imperii mediatos attinet, multo aliter se res habet. Hi enim vel iurisdictionem altam, i. e. criminalem habent, vel non. Si non habent, sequitur, vt eis nec ius decimandi competat, siquidem decimatio pertinet ad iurisdictionem criminalem, quae ius vitae & necis inuoluit (§. 44.). Ast, etiamsi habeant iurisdictionem altam, nondum tamen simpliciter eis potest tribui. Nam, dum status Imperii mediatus alium immediatum Superiorem agnoscit (§. 47.), cuius legibus is est obstrictus, & destituitur potestate legislatoria propria, licet gaudeat iurisdictione, secundum leges status Superioris proprio nomi- An status mediati eo gaudeant.

ne

ne exercenda; manifeſtum eſt, eum poenam ordinariam cum leuiori, vel extraordinaria absque Domini territorii conſenſu commutare non poſſe. Hinc, ſi lex decimationem delinquentium non expreſſe praeſcribat, ſed certas tantum poenas in certa ſingulorum delicta conſtituat, ſtatus mediatus non poteſt decimationem inſtituere, quia in illa aggratiatio & quidem in hoc caſu contra legem locum habet (§. 43.). E contrario, ſi ſtatus immediatus decimationem delinquentium in delicto vniuerſitatis grauiori conſtituerit, ſtatus mediatus, alta iurisdictione vel mero Imperio & gladii poteſtate gaudens, eam poteſt exercere, quia hoc modo ius dicit & exercet ſecundum leges praeſcriptas (§. 46.).

Quando decimandum ſit? I. §. XLIX. Reſtat, vt inquiramus, in quae delicta decimationis poena animaduertendum ſit? I. Quia in decimatione decimus quisque delinquentium ſupplicio adficitur (§. 36.), ſequitur, *decimationem non poſſe adhiberi, niſi vbi magnus eſt delinquentium numerus;* licet, vbi tantus eſt delinquentium numerus, vt ex decimatione peccantium clades fere verenda ſit, rectius viceſimatio, vel ipſa centeſimatio adhibeatur, quia populo, quantum fieri poteſt, parcendum eſt (§. 34. 37.). II.
II. Dum decimatio eſt ſpecies poenarum capitalium (§. 44.), in qua, niſi ſalus obſtaret reipublicae, omnes ad ſupplicium eſſent ducendi (§. 34. 37.), *graue delictum commiſſum ſit, oportet, quando decimatio locum habere debet, i. e. tale, quod magnum reipublicae adfert detrimentum.* Nam delictorum grauitati poenarum grauitas reſpondere debet; grauitas autem delicti ciuilis ex grauitate damni in re-

republica aeſtimanda eſt (§. 27.). III. Quisquis animo deliberato, vel ex conſuetudine & habitu delinquit, grauius puniendus eſt eo, qui tantum ſemel vel bis, vel falſis perſuaſionibus commotus, delictum perpetrauit (§. 28.). *Hinc, ſi vniuerſitas grauiter, idque data opera, delinquat, vel idem delictum, cuius poena antea remiſſa fuerat, de auctoribus tantum ſupplicio ſumto, repetat, omni iure deinde decimatur.* IV. Quando vnum idemque delictum, quod communi ſaluti aduerſatur, a multis frequentius committi ſolet, poena grauior eidem imponenda eſt (§. 29.). *Hinc in hoc caſu etiam, maxime ſi illud cum ſalute reipublicae pugnet, decimatione illud punire licet.* III. IV.

Non autem opus eſt, vt omnia haec requiſita adſint ſimul, vti nec facile fieri poteſt, ſed ſufficit, ſi primum & vnum ex reliquis adeſt, vti clarius ex illis, quae ſupra de poenis demonſtrata ſunt (§. 27. 28. 29.) patet. Videamus nunc caſus aliquos, vbi haec generalia poterunt applicari.

§. L. Tumultus, in republica vel militia aduerſus Magiſtratum excitatus, dicitur *ſeditio;* qui autem ſeditionem excitant, *rebelles* appellantur. Hinc, cum in ſeditione promiſſum obſequium denegetur Magiſtratui, eiusque adeo auctoritas imminuatur, auctoritate autem Magiſtratus violata, ſubuertantur ſimul leges & boni mores, & quilibet impune, quidquid libet, agat; vnde ſecuritas Imperantium aeque tollitur ac parentium: ſeditio omnium maxime ſaluti reipublicae, ſecuritatem communem requirenti (§. 12.), eſt aduerſa. Hinc, dum ſeditio grauiſſimum eſt delictum (§. 27.), quod a pluribus perpetratur, dum vnus homo potentia Magiſtratui reſiſtendi deſtituitur, licet vnus vel pauci ſeditionis I. In ſeditione.

auctores soleant esse; *seditiosos ciues aeque ac milites decimare licet* (§. 49.), etiamsi auctores seditionis, si cognosci queunt, seorsim & quidem grauius puniendi sint (§. 32.).

Huc pertinet exemplum Iulii Caesaris, cuius supra (§. 37. not.) mentio facta est, legionem seditiosam decimare decernentis, licet multis precibus exoratus, tandem ex CXX. tantum XII. neci traderet. Contra ea merito improbatur factum Theodosii Imperatoris, qui cum Constantinopoli Romam proficiscens, eo itinere Thessalonicam diuertisset, militesque vrbem quibusdam rebus conturbassent; Thessalonicenses autem seditione facta Imperatorem injuriis affecissent, & quosdam eius praefectos lapidibus obruissent, re inaudita irae impetum non sustinens, praefecto vrbis eius facinus id vindicandum commisit; qui ea crudelitate gladium contra ciues sontes cum insontibus strinxit, vt trucidauerit millia hominum VII. vel vt alii tradunt XV. vti refert CEDRENVS. Dum asserui autem, *seditionem decimatione recte puniri*, nemo non perspicit, me loqui *de iniusta*. Nam, quamuis non omnia Principis vitia ad viuum sint resecanda; nec omnis declinatio a regulis sapientis regiminis, ex errore, vel affectuum vehementia orta, pro tyrannide habenda sit; nec vnus vel item alter actus statim tyrannum constituat, nec contra salutem publicam statim agere censendus sit Princeps, si singulis ingrata praecipiat; vti bene docent PVFENDORF de iur. nat. & gent. Lib. VII. Cap. VIII. & WOLFFIVS Pol. §. 24: euidentissimum tamen est, si Princeps Imperium in tyrannidem conuertat, & populum, quem seruare debebat, & tueri, perdere & in perpetuum trudere exitium conetur, Imperatorem Caligulam imitatus, qui omnem populum Romanum vnam ceruicem habere optabat, vt vno ictu omnes necare posset, teste Suetonio in vita Caligulae Cap. XXX; nec precibus subiectorum, nec intercessionibus aliorum Principum, nec vllis aliis remediis mitioribus ad officium rectius explendum commoueri queat; populum non amplius ad obsequium praestandum

esse

esse obligatum. Nam pactum, quod inter Magistratum populumque intercedit, & quo Magistratus salutem publicam, cuius cura ipsi a populo commissa fuit, tueri ac stabilire, populus autem obsequium & reuerentiam & tributa necessaria promisit (§. 14.), a tyranno ante tunc fractum est; pacto autem ab vna paciscentium parte fracto, nec alteram amplius eo obligari notius est, quam quod notissimum. Bene hanc in rem BVDDEVS in instit. Theol. moral. P. II. C. III. sect. 7. §. 9. *Cum imperans*, inquit, *hostilem erga rempublicam induit animum, atque in tyrannum degenerat, omnino, vt illi resistatur, par est. Hoc natura & finis societatis ciuilis postulat, in quam homines coiuerunt, vt non perderentur, sed vt conseruarentur. Multo magis hoc tum licet, si Imperantis limitata sit potestas.* Nec obstat, quod Petrus I. Ep. II. v. 18. Dominis non tantum ἀγαθοῖς, καὶ ἐπιεικέσιν, sed etiam τοῖς σκολιοῖς obedientiam praestari velit. Nam, vt de inconcinna atque haud concludente argumentatione a seruis seu mancipiis ad ciues, qui liberi homines sunt, nullam faciam mentionem, ipsum vocabulum σκολιὸς, quod hoc loco dominum asperum, einen harten und wunderlichen Herrn, un maître rude, significat, obiectionem remouet. Nam nec ciues Principi & domino σκολιῷ obedientiam denegare debent. *Vnde in hoc casu, licet vi tyrannus supprimat populum minus obsequentem, iure tamen decimationem instituere non potest.* Quod autem de ciuibus seditiosis modo est demonstratum, idem de militibus, quibus pactum non seruat Superior, est dicendum.

§. LI. Si exercitus, vel magna illius pars ex praelio fugit sine euidente & vrgente necessitate, signa Ducemque deserit, & hosti ita facilius victoriam concedit, maxime id reipublicae saluti, quae securitatem postulat (§. 12.) aduersatur; siquidem tunc hostis victor, non amplius impeditus, in vitam & bona populi grassabitur. Hinc, quum id delictum sit a pluribus commissum, salutique publicae admodum aduersum, *decima-* II. in fuga temeraria militum.

cimatione in milites, sine praegnante ratione fugientes, animaduertere potest Princeps (§. 49.), *licet Duces belli, nisi restiterint fugientibus, vel si ipsi primi aufugerint, antea puniendi sint* (§. 32.).

Sic milites Iulii Caesaris, qui turpiter in praelio aduersus Pompeium M. Dyrrachino pugnauerant, petebant ipsi decimationem ex more patrio. Et ipse Imperator Ferdinandus III. Anno 1642. recentiori aetate decimationem contra exercitum fugientem decreuit (§. 37.). Pertinent huc etiam, quae de more Romanorum patrio ex DIONYSIO supra (§. 37.) fuerunt adducta. Dico autem: *si milites fugiant sine ratione admodum praegnante.* Nam, si plurimi iam aufugerint, & reliquis propter hostium copiam aut pereundum aut fugiendum sit, non dubium est, fugere eis potius licere, quam perire, quia deinde vis hostium non sisti potest, & miles fugiens bis pugnat, mortuus non item; & hinc tales minime esse decimandos.

III. Perfugas licet decimare.

§. LII. Miles, ad hostem transiens, dicitur *perfuga*. Cum autem desertio Ducis Principisque legitimi, cui quis sacramento fidem suam obstrinxit, & transitus ad hostem, patriae infensum, saluti reipublicae maxime aduersetur; siquidem, quum magnus perfugarum numerus sit, & respublica militibus priuatur, & vires hostium crescunt, quod vtrumque tollit reipublicae securitatem (§. 12.). Hinc, si magna exercitus pars *ad hostem perfugiat*, vel alio modo deserat Ducem inuitum, omnino *hoc delictum decimatione puniendum est* (§. 49.).

Maiores nostri, teste Tacit. de Morib. Germ. C. XII. proditores & transfugas arboribus suspendebant, quod adhuc consuetudinis est. conf. LVNIG. c. l. in indic. sub Artic. Uberläuffer. Apud Romanos pro temporum diuersitate poena transfugarum fuit varia; qua de re consule FABRI Semestr. C. XIIX. vbi inprimis obserua-

seruauit, grauius Romanos, quam Latinos transfugas punitos; illos quippe crucibus affixos, hos autem securi percussos fuisse.

§. LIII. In bello nihil aeque ad reipublicae salutem necessarium est, ac promptum iussibus Ducis praestandum obsequium. Nam si in exsequendis iussibus milites cunctantur, aut plane facere imperata recusant, optima non raro consilia irrita redduntur, & occasio satis opportuna res bene gerendi, & expeditam propriamque ab hoste victoriam reportandi facile elabitur, & fieri omnino potest, vt hostis ita superior discedat, & cum insigni reipublicae damno trophaeum deportet. Hinc si exercitus vel magna eius pars obsequium praestare recuset, & suo potius arbitratu rem gerere audeat, nec aliter ad officium praestandum redigi potest, decimatio omni iure est instituenda (§. 49.). IV. Obsequium denegantes.

Eundem Romani seruabant morem. Nam cum Galba Imperator classiarios, quos Nero ex remigibus iustos milites fecerat, redire ad pristinum statum cogeret, recusantes atque insuper Aquilam & signa pertinacius flagitantes non modo immisso equite disiecit, sed decimauit etiam, teste SVETONIO in Galba Cap. XII. Quo pertinet etiam exemplum militum Iulii Caesaris apud APPIANVM de Bellis ciu. Lib. II. pag. 794. 795. & 796. qui obsequium ante huic denegabant, sed mox, *Quiritum compellatione audita*, quod signum erat, teste APPIANO c. l., iam demissos esse a militia, hoc non tulerunt taciti, sed conclamantes ostenderunt poenitentiam, atque ipsi decimationem petierunt.

§. LIV. Miles, qui adsignatum a Duce ordinem deserit, *ordinibus cedere* dicitur. Iam vero, quum milites, qui ordinem, in acie sibi a Duce adsignatum, minus diligenter seruant temereque a signis recedunt, hosti non modo in agmen irrumpendi illudque perturbandi, V. Et ordinibus cedentes.

 di,

di, ſed vincendi etiam occaſionem praebent; quo ipſo ſalus reipublicae maxime periclitatur: *illos decimari & poſſe, & debere*, vnusquisque facile intelliget (§. 49.).

In milites, ordinibus temere cedentes, poenam capitalem a Romanis quoque conſtitutam fuiſſe, teſtatur inter alios IOSEPHVS Lib. V. Excid. Οἱ νόμοι δὲ ἀεὶ καὶ τὺς βραχύ τι τῆς τάξεως παρακινήσαντας θανάτω κολάζυσι; *leges Romanae ſemper eum, qui vel leuiter ordine exceſſerit, morte puniunt*; vel vt HEGESIPPVS vertit; *legibus egredienti ordinem praeſcripta mors eſt*; & TACITVS Lib. XIII. Annal. *Qui ſigna reliquerat, ſtatim capite poenas luebat*. & DIONYSIVS l. c. §. 37. not. *Ea (decimatio) Romanis patria quaedam punitio eſt in eos, qui ordines reliquerunt, aut ſigna deſeruerunt.* Adduci poſſent crimina plura decimatione digna, niſi breuitatis ſtudium me cohiberet. Hunc vnicum locum ex foederatorum legibus militaribus, A. 1658. promulgatis, adducere liceat, vbi leguntur haec Art. LXIV. Sollte ſich etwan begeben, und erwieſen werden, daß des Commendanten nachgeſetzte Officires und gemeine Soldaten den Commendanten, die Veſtung und Poſten aufzugeben, gezwungen, oder darzu gerathen und verleitet hätten; So ſollen alle Befehlshaber an ſolcher That ſchuldig, und aus den gemeinen Soldaten der zehende Mann, ſo das Looß treffen wird, das Leben verwürcket haben ꝛc.

An copias ſubſidiarias liceat decimare.

§. LV. At, quamuis in dictis delictorum caſibus proprios milites decimare liceat Principi, quaeri tamen poteſt, an milites conductitios in iisdem delictorum militarium caſibus decimare, integrum ſit conductori? Si per pactum locator ipſe ſibi reſeruauerit ius, copias ſuas delinquentes, licet alteri locatas, puniendi, patet, conductori non licere ex pacto, easdem copias, delinquentes forte, decimare. Sed quid, ſi per pactum nihil

hil de eo constitutum sit? Quum finis pacti inter copiarum auxiliarium locatorem & conductorem hic sit, vt conductor eas ad terrarum suarum securitatem & generatim ad vtilitatem suam adhibere possit, facile patet, conductorem etiam facultate, copias illas ad officium suum compellendi, eo magis gaudere debere, quo maiora incommoda ex alieno exercitu minus obsequente oriri queant; ne dicam, finem pacti, si de conductore facultas illa negetur, obtineri non posse. Quia autem ad officium recte praestandum compelluntur poena (§. 23. 24.), facultate puniendi copias, mercede conductas, pollere debet. Hinc, quia decimatio etiam eiusmodi poena est (§. 44.), per quam a variis delictis, reipublicae saluti aduersis, auocandi sunt milites delinquentes (§. 50. - - - 54.), sequitur, vt copiarum auxiliarium conductori ius easdem, si grauiter deliquerint, decimandi competere debeat.

Si quis forte dicat; ipsi domino copias delinquentes esse remittendas, vt ab eo puniantur: respondemus: id saepe non satis commode fieri posse. Nam si magnus eiusmodi militum numerus delinqueret, & domino remittendus esset, accidere facile posset, vt conductor ab hoste, cui tunc numero fortasse plane impar esset, profligaretur, reique publicae maximum adferretur detrimentum; cum e contrario, si ipse conductor in eiusmodi casu milites decimaret, reliquorum tamen opera in prosternendo hoste vti posset. Sed porro quis quaerere posset: *an conductor in locum eorum, qui in decimatione perierunt, alios subiicere & locatori restituere teneatur?* Quod nobis negandum videtur. Nam damnum, ex necessario rei vsu ortum, conductor non restituit locatori secundum praecepta legis naturalis, Vid. WOLFFIVS Moral. §. 957. Sed decimatio delinquentium est tale damnum, siquidem copiae, quae officio suo non satisfaciunt, nonnisi eiusmodi

poena cogi, nobisque vsui esse possunt. Vnde pro militibus conductis, in decimatione pereuntibus, alii locatori non restituendi sunt, nisi per pactum aliter res constituta sit.

An delinquentes, innocentibus mixtos, decimare liceat?

§. LVI. Difficilior responsio videtur esse, si quaeras: *an liceat decimationem instituere in delinquentes, quibus innocentes quidam, qui tamen a reis distingui nequeunt, sunt intermisti?* nam, si innocentes a delinquentibus separari possunt, separandos esse, antequam poena infligitur, supra iam demonstratum est (§. 32.). Quod si vero innocentes reis intermixti sunt, ita, vt ab illis nequeant separari; aut maior pars est delinquentium, aut innocentium, aut vtrorumque numerus circiter est aequalis. Quodsi maior sit innocentium, quam reorum numerus, facile apparebit, intuitu plurium innocentium reis veniam potius dandam, quam paucorum reorum causa plurimos innocentes trucidandos, & DEI ter optimi maximi exemplum hac in re imitandum esse, qui reliquis Sodomitis, si vel decem tantum reperti inter eos innocentes fuerint, se parsurum Abrahamo confirmabat Gen. XIIX. v. 32. Nam poena delicta, non innocentiam sequi debet (§. 30.), & venia, paucioribus reis, iisque incognitis, concessa, sine dubio, nisi pessimae mentis & ingratissimi homunciones sint, eos, vt maiori studio officio suo satisfaciant, inposterum excitabit (§. 38.), & amorem in Principem accendet, vt nihil non pro illo agere & sustinere parati sint (§. 40. not.). Idem statuendum videtur esse, si numerus innocentium circiter aequalis sit reorum copiae; maxime autem tunc, si adsint circumstantiae, quae, vt populo vel militibus parcatur, suadeant. E contrario, si maxi-

ma pars delinquit, & vnus vel item alter innocens illis immixtus sit, decimatio nostro quidem iudicio instituenda est. Nam si ne in hoc casu quidem instituenda esset, numquam fere locum habere posset in vniuersitatum delictis, quia semper verendum, ne innocens aliquis sit admixtus. Dico: *verendum esset.* Nam si certo scias, hunc vel illum innocentem reliquis immixtum esse, potest separari. Nec obstat, si quis forte dicat, ita innocentem saepe vita priuari posse. Nam quia plurimi rei supponuntur, & decimus tantum quisque supplicio afficitur, probabile non est, fore, vt innocenti prae reis sors infausta obtingat; & si hoc fiat, vt innocentiam suam probet, ipsi non denegandum est; quo facto non est, cur timeas, ne sanguis innocentis profundatur. Quod si vero innocens aliquis forte damnatus innocentiam probare nequeat, illud Cassii apud TACITVM Ann. L. XIV. C. XLIV. locum habebit: *Habet aliquid ex iniquo omne magnum exemplum, quod contra singulos vtilitate publica rependitur.*

Hinc potest intelligi, quid de supplicio CCCC. seruorum, quorum vnus aliquis dominum, Pedanium Secundum, Romae praefectum, occiderat, suasu C. Cassii instituto, teste TACITO Ann. Lib. XIV. Cap. XLII. - - XLV. statuendum sit? Nam cum omnes mortem potius sustinuerint, quam vt reum confessi sint, probabile non videtur esse, plures eiusdem delicti participes fuisse. Vnde vtique a crudelitate parum abesse videtur, quod omnes propter vnum vel paucissimos delinquentes trucidati fuerint, siquidem ipsa decimatio mitior delicti poena fuisset. Exstat quoque egregium ad praesens institutum perlustrandum exemplum Iulii Caesaris apud APPIANVM Libr. II. de bellis ciuilibus pag. 750. & 751. Nam cum ille ex CXX. solis, qui praecipui seditionis auctores

videbantur, in duodecim tantum forte ductos animaduerteret, & ex his duodecim vnus reperiretur, qui tempore seditionis abfuerat, Caesar non solum huic veniam dabat, sed pro illo etiam occidebat centurionem, qui eum detulerat. Haec si perpendantur recte, veritati minus conueniens videtur sententia NICOL. HIERON. GVNDLINGII in Diss. de vniuersitate delinquentium §. 35. pag. 34. quod nimirum *Romanis gentilibus placuerit decimatio ex inolita superstitione, dum existimauerint, non laturam Deorum prouidentiam, vt sors feriret noxa vacantem.* Quin potius huic sententiae obstat exemplum Iulii Caesaris, militem, forte quidem tactum in decimatione, sed innocentiam suam probantem, absoluentis; id quod sane haud facere potuisset, si, prouidentia deorum ita ferente, non nisi sontes forte damnari, superstitiose credidisset. Sors sua natura sontes & insontes separare haud potest. Superstitionem omnino redolet, quae a nonnullis sorti adscribitur vis & efficacia, vt eleganter hac de re BOECLER. ad Tacit. Ann. L. I. C. IX. iudicat. Sane, si DEVS sortem, ceu ex machina, dirigeret, non opus haberemus, multo labore magnoue sumtu legum periti & iudices fieri, sed possemus quasuis obuenientes controuersias derepente decidere cum PANGRVO illo iudice, qui omnes lites tesserarum iactu dirimebat, nil veritus gloriari, suas decisiones aeque bonas esse, atque Parlamenti Parisiensis sententias. Conf. DVAREN. de iud. tit. de litigatoribus. RABELLAIS de la vie de Pantagruel L. II. Nec nobis exemplum de sorte, quandoque ad detegendos facinorosos apud Iudaeos instituta, potest opponi. Ios. VII. Nam a populo Iudaico, apud quem DEVS peculiarem exercebat prouidentiam, ad alium quemcunque concludi nequit. Ceterum, quod decimandum sit, licet forte pauci innocentes incogniti sint admixti, ipsum ius milit. Germ. non potuit non admittere, vbi haec leguntur: Woferne aber iemand von ihnen für dem General und Ober-Gericht beweisen würde, daß ihnen hierinnen für ihre Persohn keine Schuld zuzumessen, auf solchen Fall sollen sie ihrer Unschuld billig zugeniessen haben.

§. LVII.

§. LVII. *Victi* dicuntur, qui vi armisque sub alicuius potestatem rediguntur. Iam vero illi, qui sub alicuius potestatem rediguntur, vel antea iam sub eiusdem potestate fuerunt, vel non. Si iam ante sub eiusdem potestate fuerunt, & sine praegnante causa rebelles facti, sed tamen denuo victi, i. e. sub potestatem vi redacti sunt, dubium non est, quin decimari possint (§. 50. p.), nisi victor peculiare pactum ineat, vi cuius se veniam denuo victis concessurum & eo, quo antea fuerunt, loco illos habiturum, promittat. Ad pacta enim seruanda lege naturali sumus obligati. E contrario decimari non possunt, si propter tyrannidem obsequium tyranno denegauerint (§. 50. not.). Quod si vero antea, in cuius potestatem vi armisque rediguntur, subiecti non fuerunt, minime decimandi sunt. Nam licet vel maxime ei, a quo victi sunt, restiterint, eumque prosternere plane atque delere conati fuerint, tamen non quidquam delicti admisisse, sed suo potius officio satisfecisse censendi sunt, quin immo tunc potius decimatione digni fuissent, si aggressiones hostiles repellere non fuissent conati. Nam quilibet patriam suam pro virili tueri, eamque ab hostium insultibus defendere, datamque Magistratui suo fidem seruare obligatus est. Deficiente autem delicto decimatio tanquam poena (§. 44.), locum habere haud potest (§. 30.).

An victos liceat decimare?

Recte hinc Otto apud TACITVM Hist. L. I. C. XXXVII. improbat saeuitiam Galbae, Imperatoris; *Horror*, inquiens, *animum subit, quoties recordor feralem introitum & hanc solam Galbae victoriam, cum in oculis vrbis decumari deditos iuberet, quos deprecantes in fidem acceperat.*

§. LVIII.

An praeter Romanos decimatio etiam aliis populis vsitata fuerit?

§. LVIII Ingenue fateor, me antiquius quam Appianum illud supra §. XXXVII. memoratum, decimationis proprie sic dictae exemplum inuenire haud potuisse; nec Graecos, illa vsos fuisse, legi probatum vllubi. Equidem decimationis cuiusdam apud ipsos Persas antiquissimos prostat exemplum, sed a nostra decimatione alienissimum, quod nobis suppeditat HERODOTVS Libr. III. pag. 193. seq. Edit. H. Steph. ita exponens: *Milites Regis Cambysis, ab eo sine rei frumentariae apparatu aduersus Aethiopes in expeditionem ducti, antequam quintam itineris partem confecissent, protinus commeatu omni, quem secum habebant, caruerunt, & absumtis iumentis, quamdiu quod de terra sumerent, habuerunt, herbis victitauerunt; at, vbi ad sabulum peruenere, ibi sortiti ex se ipsis decimum quemque comederunt.* Cruentam hanc decimationem ex iure seu fauore necessitatis defendendam esse, quilibet facile concedet. Nam, cum natura omnis homo ad vitae suae rerumque suarum conseruationem & propter hanc ipsam obtinendam, ad officia erga alios stricte dicta custodienda, & ad abstinentiam ab extorquendis officiis amoris sit obligatus, facile patet, in casu, vbi custodia officiorum erga alios pugnat cum conseruatione nostri necessaria, licere nobis officia erga alios negligere non solum, sed violare etiam alterum ad propriam nostram conseruationem, quae mitiori remedio obtineri non poterat, obtinendam. Nam cessante principio cessat etiam principiatum, & ipsa natura duce, amor erga se ipsum amori erga alterum anteponendus est, quia in collisione regularum perfectionum simplicium ea est praeferenda, quae in

toto

toto maximam praestat perfectionem. Et haec ipsa facultas moralis, violandi officia erga alios stricte dicta, ne nobis ipsis pereundum sit, dicitur *ius seu fauor necessitatis.* Hinc, dum militibus Cambysis cum extrema conflictandum fuit necessitate, ita, vt omnibus, nisi ad hunc decimandi modum confugissent, fuisset pereundum, factum eorum commiserationem potius, quam reprehensionem meretur. Ceterum in hoc casu decimationem proprie sic dictam fuisse adhibitam, minime dici potest, quia decimatio proprie poena est (§. 36.), in hoc autem casu deficiente delicto, nec poena proprie sic dicta locum habere potuit (§. 30.).

§. LIX. Decimatione delinquentium facta, quo modo tractandi sint superstites, paucis ostendam. In decimatione omnes aequaliter mortis poena essent afficiendi, vno eodemque delicto ab iis commisso (§. 32. seqq.). Cum autem obstet salus reipublicae, quominus aequaliter omnes ad supplicium trahantur (§. 34.), & hinc decimus tantum quisque eodem afficiatur (§. 36. 37.), aequum est tamen, vt superstites durius tractentur iis, qui non peccarunt, donec bene laudabiliterque rebus gestis prius delictum compensauerint, pristinaque gratia se dignos reddiderint. Hoc enim non solum salua reipublicae salute potest fieri, sed reliquis etiam eo magis exemplo esse potest.

Superstites ex decimatione dudum tractandi.

Apud Romanos mos patrius ita ferebat, vt, decimo quoque milite coeso, reliqui superstites hordeo pro tritico pascerentur, loco extra castra adsignato, vallum securitatis conficere iuberentur, vti supra adnotauimus ex POLYBIO (§. 38. not.), & quod testatur

ftatur etiam FABER in libro femeftrium Cap. XVIII. pag. 94. Praeterea quoque in omnibus Germ. Artic. mil. legitur in hunc fenfum: die übrigen aber sollen ausser dem Lager ohne Fahne liegen, und das Lager, so es unrein ist, zu saubern und zu reinigen schuldig seyn, auch an die gefährlichsten Oerter commandieret werden, biß sie ihr Verbrechen durch darauf erfolgte männliche Thaten gnugsam gebüsset.

Conclufio. §. LX. His finiam praefentis inftituti tractationem iucundam pariter ac vtiliffimam. Nam etiamfi homines, quae de poenis praecipiuntur, iniquis auribus aufcultare foleant, veterum Germanorum morem imitantes, apud quos animaduertere, vincire, verberare nemini, nifi facerdotibus permiffum erat, non quafi in poenam, nec Ducis iuffu, fed velut DEO imperante, poena infligeretur, vt refert TACITVS de moribus Germanorum Cap. VII. fatis tamen fine poenis nec legem, nec rempublicam vllam fartam tectamque effe, experientia comprobatum eft. Vnde non poteft non vtiliffimus effe labor, quo in iuftos clementiae & feueritatis limites, a fapiente Magiftratu in poenis exfequendis femper obferuandos, omni cura inquiratur. Quod reftat, vt verae virtutis pietatisque ardor in omnium mortalium animis excitetur, quo non feueritatem, fed clementiam Magiftratus, qui mali aeque vindex ac remunerator boni a DEO eft conftitutus, experiantur, ex animo precamur.

SOLI DEO GLORIA.

VIRO

VIRO IVVENI
NOBILISSIMO NEC NON DOCTISSIMO
DOMINO
SALOMONI SEVERINO DOBERMANNO
FAVTORI ET AMICO SVO AESTVMATISSIMO
S. P. D.
PRAESES.

SVmma cum animi voluptate huius dissertationis praesidium suscepi. Talem enim nactus sum respondentem, qualem volui, & optare potui. Sane quis nescius, qui aliquam tantum TVI cognitionem habet, TE nunquam illotis manibus Themidos sacra tractasse, atque in periculosissimo iurium labyrintho semper ceu filum ariadnaeum tenuisse illud: leges scire non esse verba earum tenere, sed vim ac potestatem? Dissertatio haec, proprio Marte a TE elaborata, luculentum huius rei exhibet testimonium, in qua delinquentium decimationem ab iniquitatis nota, quam illi inurere multi voluerunt, per argumentorum ca-

tenam

tenam, propriis suis articulis optime cohaerentem, mascule liberasti, & iustitiae patrimonio ita vindicasti, vt ad perpoliendam eam vix vltima mea lima opus habueris. Quin igitur VIRO CONSVLTISSIMO, *Parenti TVO carissimo, meoque fautori honoratissimo, de filio vnico, eoue eruditissimo, TIBI autem ipsi de indefessorum studiorum fructibus, quorum flos sese iam amoenissimus ostendit, certissimis, iisque vberrimis, animitus gratuler, me continere nec potui, nec debui. Si quid est, quod restat, vale, & absens etiam, me amare, perge.*

